DE ROMANORUM IMPERATORUM AC SUMMORUM PONTIFICUM SOLLICITUDINE...

Giuseppe Sarzana



G. B. Rust
Console Gen.le di S. M. Sarda presso la S. Porta

JOANNI · BAPTISTAE · RASIO

VIRO SPECTATISSIMO

MORIBUS · INGENIO · SANGUINE

AC

LITTERARUM · LAUDIBUS

OPTIME · GERENDAE · NAUTICAE

ORNATISSIMO

IN REBUS

SARDINIARUM · REGIS · AD · SANCTAM · SEDEM

PERTINENTIBUS

BONARUM · ARTIUM

ET

VETERUM MONIMENTORUM

AMANTISSIMO

JOSEPH · SARZANA U. J. D.

OPTIMO VIRO

J. BAPTISTÆ RASIO

JOSEPH SARZANA

Volturnæ Templum,

quod Teste Livio in Decad. 2. lib. 5. cap. II. Romanorum terror fuit, et in quo contra eosdem ab Etruscis habebantur concilia, sæpe sæpius animum impulit meum ad ea etrusca monumenta illustranda, quæ ab meo Patruo magno vel recensita fuerunt in suo Opere præsertim de Etruriæ Metropoli: verumtamen operis difficultas animum ipsum exterruit adeo ne cogitarem umquam me posse de cujusque generis antiquitatibus disserere: quod autem nec patrui exemplum, nec clarissimi Præceptoris mei Semeria stimulus nec patrius

denique potuit amor, id omne humanitas effecit, qua Tu mecum usus fuisti, nam ex ea subito motus cum clarissimi Nibby opus perlegerem, in quo tuum nomen meritissimo fuit inscriptum, nonnulla de veteribus tuæ patriæ Romæ monumentis conscribere putavi: neque hæc ipsa conscripsi ex eo Plinii ad Caninium monitu lib. 1. ep. 3. ut aliquid effingerem quod esset perpetuo meum quia rerum reliqua post nos alium, et alium Dominum sortiuntur, sed quicumque est labor, ut esset tuus; ac illum Tibi uni convenire putavi quia antiquitatum

es amantissimus, *ac fundamenta tuæ dignitatis* (ut inquit Tullius in epist: ad Quintum Fratrem) *doctrina*, *integritas*, *et continentia*. Nihil inde ex meo quantumvis tenui labore desideravi præter tuam benevolentiam qua me jam prosequeris; habeas itaque acceptum opus, et favente Numine, mei grati animi exemplum in his adspicies, quæ jam longo tempore adservata certo alicujus valoris typis inde committam: interim illud ipsum gratitudinis monumentum esto hujusce oblatio laboris.



Cum Orbis universi Mater, et caput Urbs Roma tot, tantaque veterum monumentorum, quæ Summorum virorum memoriam commendant, exempla contineat, quæ laudari non dicam, sed enumerari vix possint, in id animum meum contuli, ut Romanorum in iis magnitudinem considerarem: atque cum hæc animo revolverem, menteque conciperem quæ ab ipsis gesta fuerunt, ut ad summum magnitudinis gradum pervenirent, in mentem ipsam occurrit, id ex beneficentissimi Numinis dispositione factum fuisse jam ab ipsius Urbis origine, ut imperium ejus in universas gentes protenderetur quousque esset ipsa duratura. Atque hujusmodi veritatem nemo est, qui non sentiat si consideret tria potissime Romanorum animo insita ab ipso Numine fuisse, quæ illorum imperii quasi dicam æternitatem necessario inducere debebant: ea vero videntur nobile ingenium, benignus animus, mira justitia, et ea procul dubio esse videntur, quæ in illis Virgi-

lii versibus continentur, ubi cecinit per prophetantem Anchisen, Romanorum proprium esse (a)

„ . . . regere imperio populos . . . .
„ . . . pacisque imponere morem,
Parcere subjectis, et debellare superbos.

quæ si sedulo considerentur, et ab ipso Romulo exordium accipiatur, ubi nonnullorum non jam Imperatorum, sed belluis immaniorum hominum nomina deleantur, uno, eodemque contextu virtutes illas Romanorum imperium occupasse erit in comperto. Neque ullimode prodesse potest objectio, earum alteram virtutum per continua bella damnum passam fuisse; absque quod enim de jure gentium constituatur quaestio ad Romana bella justificanda, sat erit ex illis nonnulla referre, quae de per se eam Romanorum virtutem demonstrant. Quis enim erit, qui contradicat, si de bello contra Ceninenses acto loquar? Fuit illud primum Romanorum bellum, et quidem defensionis fuit. Quid tunc Romulus, cum victor e pugna cum suis discessit? pacis illico morem imposuit.

Sequamur autem bellorum seriem, et jam, Antemnates, Crustuminos Sabinos (b) insurgentes sub-

---

(a) Virg. Æneid. lib. VI. vers. 851. seq.

(b) Liv. lib. 1. cap. V. Ita per se ipsum nomen Cæninum in agrum Romanorum impetum facit; sed effuse vastantibus fit obviam Romulus, levique certamine docet, vanam sine viribus iram esse . . . . . Dum ea ibi Romani gerunt, Antemnatium exercitus per occasionem, ac solitudinem hostiliter in fines Romanos incursionem faciunt, Raptim et ad hos Romana legio ducta palantes in agros oppressit . . . . . . duplicique victoria ovantem Romulum Hersilia conjux, raptarum precibus fatigata, orat, ut parentibus earum det veniam, et in civitatem accipiat; ita rem coalescere concordia posse. Facile impetratum. Inde contra Crustuminos profectus bellum inferentes, ibi minus etiam, quod jam alienis cladibus ceciderant animi, certaminis fuit. Utroque coloniæ missæ, et

egit Romulus, eosque omnes cum suis necessitudine conjunxit: vide hinc Fidenates in nascentem Urbem irrumpere, vide Vejentes hinc acerrimos Romanorum persecutores Urbem aggredi: sed jam vincunt Romani, eorumque Rex illos amicos appellavit, istis pacis morem imposuit (*a*). Romulo vita functo, benignitas Numæ illius successionem concessit: deinde ingenium Tullo Ostilio; hinc rursus benignitas Anco Martio; hinc Tarquinio Prisco; hinc denique Servio Tullio ingenii nobilitas, benignitas omni, et justitia Romanorum regnum obtulerunt (*b*): ac dum temporis momento regnum Tarquinius cognomento superbus iniquitate adquirit; ingenium Bruti, Collatini justitia, et Lucii Tarquinii benignitas ex iniquis manibus regnum vindicerunt (*c*): unde si et ad præsens usque vellem enucleare tempora; illud ubique

---

Romam frequenter migratum est e parentibus maxime, ac propinquis raptarum. Novissimum ab Sabinis bellum ortum, multoque id maximum fuit . . . . sed . . . movet etc. Movet res tum multitudinem, tum duces: silentium, et repentina quies inde ad fœdus faciendum duces prodeunt nec pacem modo, sed civitatem unam ex duabus faciunt, regnum consociant, imperium omne conferunt Romam.

(*a*) Liv. lib. 1. cap. VI eadem clade haud minus quam adversa pugna subacti Fidenates, et Vejentes, pacem petitum oratores mittunt: in centum annos induciæ datæ.

(*b*) Liv lib I cap 8 9 13. 15 17 Luc Florus lib I. cap 8 anacephalæosis de septem regibus: et observat. polit. ad Flor. lib I. cap 8. §. 1.

(*c*) Liv. lib I. cap 19. et lib II. cap. 1 neque enim ad jus regni quidquam præter vim habebat: ut qui neque populi jussu, neque auctoribus patribus regnaret — — — bellum, pacem, fœdera, societates per se ipse, cum quibus voluit, injussu populi ac senatus fecit, diremitque. — Cap I. lib. II. Neque ambigitur quin Brutus idem, qui tantum gloriam meruit — non acrior vindex libertatis quam deinde custos fuit.

pateret Supremum ipsum Numen Romanorum decrevisse magnitudinem · ipsi vero eo usque processerunt, ut ex ipsis monumentis, quae supersunt ex temporis, et barbarorum injuriis illorum magnitudo admirari non tantum, sed concipi, et credi vix possit. Quæ enim ita sint ex Imperatorum, et Summorum Pontificum sollicitudine, et providentia in illis conservandis erui facile poterit, quæ Romanorum fuerit in quacumque re magnitudo, quæ posterorum oculis eorum memoriam commendaret: sicuti vero monumenta ipsa antiquiorem petunt originem, ita licebit quidquam de illorum dicere principio, ut uno contineatur eodemque contextu id omne quod ipsa summorum virorum respicit monumenta.

Quamvis itaque Statuarum prototypum, eumque perfectissimum habuerint homines in sui ipsorum forma, et figura, non ita tamen eorumdem conatus facile pulchritudini exempli respondere visus est. Cum vero interim et insita humanæ menti Numinis idea, perennitasque ejus beneficiorum, et hominum bene de republica meritorum grata apud posteros recordatio aliquod expostulare monumentum videretur, quo Populorum in hac re consensioni satisfieret; hinc lapidum, columnarum, pyramidumque usus inductus est, quarum facilior statuis structura, et uni vel alteri dedicatæ poterant illius memoriam, et stabilem cultum posterorum oculis commendare. Hinc apud Herodianum (a) videmus Syros Statuam solis coluis-

---

(a) Herodian. lib. V. colunt autem nomine ἐλαιαγάβαλον: ejus simulacrum λίθος ἐστὶ μέγιστος κάτωθεν περιφερὴς λήγων εἰς ὀξύτητα κωνοειδὲς δὲ αὐτῷ σχῆμα διοπετῆ δὲ αὐτὸν ὁμολογοῦσι. Est lapis maximus in imo rotundus desinens in acutum, forma ejus instar coni, seu materiæ quæ de cœlo deciderit.

se sub forma prægrandis rotundi lapidis, qui sensim in fastigium desinebat. Hinc sub pyramidis specie Lunam ab Arabis effigiatam esse memoriæ mandatum est (a). Hinc denique scitum est apud Corinthios, Ephesios, aliosque populos Melichium pyramidi, Dianam columnæ turbinatæ, Junonem argivam columnæ ligneæ coronis, et fimbriis ornatæ assimilatos fuisse (b). Quem quidem honorem nedum Diis, verum etiam hominibus communicatum fuisse res est ulla absque difficultate (c); cum et Juno apud Homerum (d) tumulum, columnasque Sarpedoni erigi non invideat. Ubi etiam scitum est columnam positam esse Cajo Menio qui priscos devicerat Latinos (e)

(a) Calmet in sua Italu dissertatione, sopra Moloc Dio degli Ammoniti pag. 304. I Dei degli Arabi tenevano l'istessa figura; rappresentandosi la luna sotto la forma di una quadrata piramide. Idipsum dicitur ab Herodiano lib. III. cap. 8.

(b) Cicero Philipp. I. Lactantius lib. 1. Clemens Alexandrin. lib. I *Stromat.* Deorum olim simulacra erant κιονες πυραμοειδεις κι πυραμιδι μεν ὁ Μειλίχιος, κιονι δε Αρτεμις ἡ πατρῴα δε εισεσμενε. Corinthi columnæ pyramidis instar teretes, Melichius pyramidi, Diana columnæ assimilata erat. Apollo Αγυιευς, seu Vicanus erat columna in acutum desinens, seu turbinata in vestibulis ædium κίον εις οξὺ λεγων. Junoni argivæ lignea columna posita coronis et fimbriis ornata.

(c) Plin. lib. 34. cap. IV. Transiit et ab Diis ad hominum statuas honos ejusmodi.

(d) Iliad. lib. 16. vers. 456.

Ibi et exequias facient fratresque familiaresque. Tumuloque cippoque.

(e) Plinius lib. 34. cap. V. Antiquior columnarum, sicut Cajo Menio, qui devicerat priscos Latinos, quibus ex ex fœdere tertias prædæ Romanus populus præstabat.

Ceterum minime est ambigendum rudes, et informes primas illas columnas fuisse (a), usquequo casu aliquo, sive solertia homines creta, truncisve, aut lapidibus, ex umbra similitudine imitari cœperunt (b). Quod cum primum factum esse credi debet (c), aliquid majoris elegantiæ columnas illas, et lapides adeptos fuisse, ita ut, quin in fastigium veluti ante desinerent, in humanam potius figuram rudem eam quidem, et informem terminaverint. Hujus rei exempla Hermæ illi esse possunt (d) qui ultra tercentum Athenis fuerunt, quique nonnisi caput habuerunt humanum quadratæ columnæ impositum fastigio, credendumque etiam est omnes parum dissentisse a stipitibus (e), atque columnis primas illas Statuariorum imagines, quæ ad Dædalum usque extiterunt. Fert enim humanæ mentis insufficientia, ut Tzetzes

(a) Atheneus lib. 14 Arnob. lib 6 Lucanus lib. 3.

. . . . simulacraque mœsta Deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis.

(b) Bulenger de pict. plastic. cap. 18. Plasticen Dibutades Sicyonius figulus primus invenit Corinthi filiæ opere, quæ capta amore juvenis, illo abeunte peregre umbram ex facie ejus ad lucernam lineis circumscripsit, quibus pater ejus impressa argilla typum fecit, et cum ceteris fictilibus induratum igni proposuit.

(c) Demonstion de Sculpt. Vet. lib. I cap. I.

(d) De his loquitur Juvenalis in Satyr. 8. ubi contra falsos nobiles sic loquit.

. . . . at tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago

(e) Diodorus siculus lib. 4 pag. 192

Ante Dædalum artifices statuas fingebant oculis conniventibus, et clausis, manibus demissis imo per mitia pro statuis fuere stipites, et lapides, unde Tibullus

Nam veneror seu stipes habet desertus in agris
Seu vetus in triviis florea serta lapis.

nobis testatur (*a*), illas quidam fuisse sine manibus sine pedibus, sine oculis, aut pedibus ad summum invicem conjunctis. A qua rudi sculpendi arte cum primus se se Dædalus abalienasset, et apertos oculos suis statuis compegisset, pedesque mutuo dissociasset; hinc illius statuas advolasse, nisi pedibus vinctæ essent, vetustas insimulavit (*b*). Hujus tamen Artificis conatus alios brevi tempore imitatos fuisse, et artem Sculptiles imagines efformandi percultiores populos concrevisse innumera, eaque certissima, et vetustissima testantur.

Ac primi fortasse inter eos qui Statuæ honorem sunt assecuti victores in olympionicis fuerunt (*c*); et deinde quotquot vel ingenio; atque virtute Rempublicam conservassent, ut factum Athenis est Hermodio, et Aristogitoni tyrannicidis (*d*); et De-

---

(*a*) Tzetzes in *Chiliad.* ἀνδριάντας ἀχείρας, ἀπόδας, ἀομμάτους, ἢ τοῖς ποσὶ συμβεβηκότας veteres statuarios *statuas fecisse sine manibus, sine pedibus, sine oculis aut pedibus conjunctis inter se*.

(*b*) Apollodor. lib. 3. Dædalus cum Talo filium sororis necidisset, ut ejus luctum solaretur, fecit ejus simulacrum, quod primum omnium fuit in Orbe. Tzetzes in Chiliad. Dædalus primus ὄμματα διέστησε, καὶ τοὺς πόδας, διέστησε *oculos aperuit, pedes dissociavit*. Unde et ejus statuas avolare dixerunt, nisi vinctæ essent.

(*c*) Demontiou de Sculpt. vet. lib. I Bulenger. de pict. plastic. lib. I cap. 18 et ab eo relati, Plinius lib. 34. cap. 5. Effigies hominum non solebant exprimi nisi aliqua illustri causa perpetuitatem merentium, PRIMO sacrorum certaminum victoria, MAXIMEQUE Olympiæ, ubi omnium qui vicissent statuas dicari mos erat.

(*d*) Bulenger. de pict. plastic. lib. I. cap. 18. Demontiou ubi supra, et Plinius lib. 34, cap 6. Tucidid. lib. 6. Athenienses omnium primi omnium Hermodio et Aristogitoni tyrannicidis publice posuerunt statuas. Is Pisistrati filio

metrio Phalereo cui tercentum statuæ dicatæ sunt (a); vel per injuriam cæsi fuissent, ut eadem civitas auream Socratis imaginem (b) in templo locari jussit, ad ejus veluti manes propter nefariam mortem placandos: vel prudentia, atque virtutum præstantia posterorum gratiam, et memoriam mererentur (c) ut Romæ altera Tarquinio Prisco, tres Sybillis positæ sunt: vel etiam demum hostili strenuitate claruissent, quam ob causam tres (d) etiam Annibali positas eadem Urbs statuas vidit. Adeo virtus tunc temporis, ut recens quidam auctor observat (e) in hostibus quo-

---

Hipparco interempto servitute tyrannidis Athenienses liberarunt.

(a) Plinius loco cit. dissentit ab Emmio qui in suo tractatu de Republica 3oo indicat, cum Plinius 36o id autem ad rem nostram nihil cum pertineat, eodiemus eumdem Plinium — Nullique arbiteer plures statuas dicatas quam Phalereo Demetrio Atheuis. Siquidem 36o statuere quas mox laceraverunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente.

(b) Diog. Laertius in vita Socratis lib. 2. In qui injuria cæsi statuæ datæ. Plin. lib. 34 cap. V. Tertullian. in Apologet. imaginem Socratis auream in templo Athenienses collocarunt.

(c) Plin. lib. 34. Plio aut eum sibi ac Sybillæ Tarquinium, et reges sibi ipsis posuisse verisimile est. cap. 5 Hutar ch. in vita Tarquinii Prisci Equalem Tarquinii, et Sybillarum juxta Rostra esse nonminor tres sunt licet una quam Sextus Pacuvius Taurus Ædilidis plebis restituit duæ quas M. Messala.

(d) Plin. lib. 34 Cap. 6 Et adeo discrimen omne sublatum, ut Annibalis etiam statuæ tribus locis visantur in Urbe, cujus intra muros ipse solus emisit hastam.

(e) Reinesaut Dissertation sur les Statues, Journal des Sçavants Tom. 14 pag. 193. Les femmes n'en furent point exclues, et toutes les plaintes de Caton pendant sa censure ne purent empecher qu'on ne leur en decernet non seulement dans les provinces, mais dans Rome même, ou les statues des etrangers, et celles des ennemis furent aussi quelque fois reçues: tant la vertu y etait en veneration!

que venerabatur ! Pudet iis Meretricum imagines adjicere. Sed tamen certum est Phrynes auream statuam inter Reges et Imperatores Delphis fuisse, triumphum, ut dicebat vetus Graecorum Philosophus intemperantiæ (*a*), atque Romæ alteram statuam in Floræ meretricis honorem non defuisse (*b*)

Verumtamen primæ ætate rariores in Urbe imagines apparuerunt, cum primis centum septuaginta annis ab Urbe condita ullam in Templis Deorum imaginem locari prohibuisset Numa a Moyse fortasse in hac re (*c*) edoctus. Neque prodigos erga homines esse in hac re Romanorum morum severitas permittebat, ita ut et Bruto publica statua negata sit (*d*), et Legatis utcumque virtute claris, nisi ferro fuissent in legatione interfecti statuam decerni non decorum esse, visum est (*e*). Sed tamen in prima illa ætate

---

(a) Plutarch de Pythyæ oraculis circa medium Et Serapio, Cur inquit hæc tu indigne fers? quin oculos attollis, et auream inter Imperatores ac Reges stantem Mnesaretam contemplaris, quam Crates ajebat trophæum de intemperantia Græcorum esse statutam? De Phryna hæc Crates pronunciaverat. Mnesarete enim nomen fuit, sed Phrynes cognomentum nomen tulit ob pallorem

(*b*) Idem in Pompej cap 3 Quam Phrynem Delphis vidi nunc Romæ Floram aspexi hæc autem nomen ob venustatem ut illa ob pallorem

(*c*) Bulengerus de plastic et Statuaria, Gooricius de Sculpt Euseb lib. 3. de præparat. Evang ubi Moysem vetuisse ait ne imagines adorandæ proponerentur

(*d*) Cleliæ etiam (inquit Plinius lib 34 cap. VI) statua est equestris, ceu parum esset toga eam cingi, cum nec Lucretiæ nec Bruto, qui expulerunt reges, propter quos Clelia inter obsides fuerat, decernerentur

(e) Cicero Philipp. 9. § 1. nisi P. Servilio respondendum putarem, qui hunc honorem statuæ nemini tribuendum censuit, nisi qui ferro esset in legatione interfectus — Plin. lib. 34 cap. 6. Inter antiquissimas sunt et T. Cœlii, Lucii

2

exempla non desunt, quum et sub Tarquinio Prisco Altincevio statua (*a*) capite velato, et Cleliæ novo feminæ virtute novo genere honoris statua (*b*) equestris posita sit, et Horatius Cocles (*c*), et Cornelia Gracchorum mater statuarum honorem sint assequuti (*d*). Quinimo et si prout ante aetate liberaliores fortasse in iis, quam in sepulchris decernendis Romani se se præbuerint (*e*), statua tamen in rostris, aut in foro posita stante republica, semper maximus honos est habitus (*f*).

Roscii etc. a Fidenatibus in legatione interfectorum. Hoc e Populo Romano tribui solebat injuria caesis. Hæc videlicet mensura tunc honorata erat.

(*a*) Livius dec. 1. lib. 1. cap. 15.

(*b*) Cleliæ etiam est statua equestris, et hanc primam publice dicatam crediderim inquit Plinius — eam Cleliæ Piso tradiderit ab his positam qui una obsides fuerant, redditis a Porsenna, in honorem ejus. Et Livius Decad. 1. lib. 2. cap. 8.

(*c*) Plinius lib. 34. cap. 5. Alia causa, alia auctoritas major in Horatii Coclitis statua quæ durat hodieque, cum hostes a Ponte Sublicio solus arcuisset. Et Livius lib. 2. decad. 1. cap. 5.

(*d*) Buleng. in Gronovii antiquitat. lib. I. Cap. X. Corneliæ Gracchorum matri statua sedens posita soleis sine ansulis insignis. Plinius lib. 34. cap. 6. Nec tamen potuit tollere quominus Romæ quoque ponerentur, sicuti Corneliæ Gracchorum matri, quæ fuit africani prioris filia. Sedens hæc posita, soleisque sine amento insignis, in Metelli publica portica, quæ statua nunc est in Octaviæ operibus. Lamprid. in Alexandro Severo.

(*e*) Majores quidem nostri (ait Cicero in Philippica IX. cap. 6.) statuas multis decreverunt, sepulcra paucis. Sed statuæ (en ratio) intereunt tempestate, vi, vetustate: sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri, neque deleri potest, atque ut cetera extinguuntur, sic sepulcra sanctiora fiunt vetustate.

(*f*) Laurent. var. sacr. Gentil. cap. 5. Sicuti inquit Seneca lib. III. de ira, simulacra propria in æternitatis com-

Ceterum si statuæ, ut ita dicam, indigenæ rariores in urbe fuerunt, vix tamen Romanorum arma rudioribus finitimis populis superatis, in cultiores gentes penetraverunt, nullo idem inter eos monumenta extare viderunt, aut materia, aut arte præstantia, quæ non jure belli sibi addixerunt, et ad ornatum, et cultum urbis omni diligentia transferri curaverint. Fuit hoc præsertim anno ab urbe condita 477 et ut alii volunt 478 in quo ipsi Tarentum subegerunt. Tunc enim Romanorum frugalitas græcanicas delicias, et divitias gustare cœpit (a). In superioribus namque triumphis usque ad eam aetatem non aliud per victrices Romanas portas ingredi agentibus victis viderunt, quam Volscorum pecora, Sabinorum greges, Gallorum carpenta, fracta Samnitium arma (b). Tunc vero aurum, purpuras, signa,

---

mendatissimam, ac diversitatis reperta sunt, nec in illustri loco posita status maximus fuit honos: unde Plinius recordatur statuam Coclitis in rostris et Cicero Philipp 9. cap 2 Legatos a Tolomeio occisos commemoret — quorum statuae steterant usque ad nostram memoriam in rostris, — et Co. Octavii statuam videmus in rostris — Reddite igitur vitam, cui ademistis vita enim mortuorum in memoria est posita vivorum: perficite ut is quem vos insciì ad mortem misistis, immortalitatem habeat a vobis: cui si statuam in rostris decreto vestro statueritis nulla ejus legationem posteritatis obscurabit oblivio. Cit. Laurent ver. sacr. loquitur maximus honos Romae stante republica statua in Rostris, aut in foro posita.

(a) Lipsius de Magnitud. Romana lib. 2 cap. 8. In ea parte Italiæ, gustavit Romanus græcanicas delicias, et divitias, quas affatim postea hausit.

(b) Luc. Florus lib. 1 Cap. 18. Nec enim ullus pulchrior in Urbem, aut speciosior triumphus intravit cum ante hunc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma vidisset. Tum si captivos adspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Bruttius, Apulus, atque Lucanus.

tabulas atque alia ejusdem generis opulenta, et speciosa avidis, arrectisque oculis inferri sunt admirati (a). Deinde, et Lucius Mummio Corintho capta Romam signis ex ære corintho replevit (b), et Lacedæmone debellata, inter cetera admiratione digna, quæ a Muræna, et Varrone transmissa fuerunt, integrum etiam opus tectorium excisum a lateritiis parietibus in ligneis formis inclusum ad Comitium exornandum importari despectum est (c). Et Macedonia armis subacta Lucius Aemilius ita priores excessit, simulacrorum magnitudine, et specie, quæ in urbem invexit, ut diximus, amplissimusque ejus triumphus visus sit (d). Et Pompejus Magnus Mi-

---

(a) Flor. ubi supra — Nunc vero si pompas, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque deliciæ. Sed nihil libentius Populus Romanus aspexit, quam illas quas timuerat turribus suis belluas, quæ non sine sensu captivitatis summissa cervicibus victores equos sequebantur.

(b) Livius Epitome lib. 52. In cujus locum Drachus Achæi et motus primus auctor ob Achæis dux creatus, ad Isthmum a L. Mummio consule victus est, qui — Corinthum ex Senatusconsulto diruit quia etc. — Ipse L. Mummio se abstinentissimum virum egit, nec quicquam ex opibus, ornamentisque quæ prædives Corinthus habuit, et quibus Romam replevit, in domum ejus pervenit.

(c) Plin. lib. 35. cap. 14. Lacedæmone quidem excisum lateritiis parietibus opus tectorium propter excellentiam picturæ ligneis formis inclusum Romam deportavere in Aedilitate ad comitium exornandum Muræna, et Varro, quod cum per se mirum esset, translatum tamen magis mirabatur.

(d) Florus lib. 2. cap. 12. circa finem. Inter pulcherrimos hunc quoque Populus Romanus de Macedonia duxit, atque vidit triumphum; quippe cujus spectaculo triduum impleverit. Primus dies signa, tabulasque; sequens arma, pecuniasque transvexit; tertius captivos, ipsumque regem attonitum adhuc tanquam subito malo stupentem. Vellej. Patercul. hist. lib. I. IX. Quam sit assiduamentis comes fortunæ invidia etiam hoc colligi potest, quod cum Aucti trium-

thridate in Ponto devicto ejusdem argenteam statuam itemque Pharnacis, qui primus illic regnavit, et currus aureos, argenteosque ad sui ipsius in urbe triumphum exornandum adduxerit (a).

Quod cum factum a Romanis fuerit, ita istorum ardor in illis possidendis conservandisque brevi percrebuit, ut, et ea publice habere, et privatim sibi addicere, et alia aliis addere communis Romanorum ambitio fuerit. Hinc nullæ fuerunt nobilium ædes, quæ columnis, et statuis non implerentur, ita ut adagio locum aperuerint

Una domus URBS est, urbs OPPIDA pluria claudit (b).

In qua re contenti ii non fuerunt illis elegantioribus monumentis, quæ Romam ex gentibus subactis translata fuerant, alia quoque ad aedes, villasque exornandas summa cura comparabant. Ac Crassum

---

phum aemo interpellaret, fuere qui Pauli impedire conitentur cujus tantum priores cacessit, vel magnitudine regis Persei vel specie simulacrorum, vel modo pecuniæ, et bis mille centies sestertium ærario contulerit, et omnium antecessorum comparationem amplitudine vicerit.

(a) Plinius lib 34. cap 12. Jam enim triumpho Magni Pompeii reperimus translatam Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto, argenteam statuam item Mithridatis Eupatoris et currus aureos, argenteosque

(b) Lipsius de Magnitud Rom lib. 3. cap. 14. Igitur illas ædificiorum species, in quas PATRIMONIA SUA profuderunt, amœnissimas, et extructissimas deprehendas nulas AMELAS USTIM conditas, domos VIAE TEMPLORUM extoentas Seneca epist. 91, suum, vetusque ævum disparans *non habebant* inquit *domos instar Urbium* et alibi ila benefic. lib 7 cap 10 agnoscit et increpat ædificia privata laxitatem MAGNARUM URBIUM VINCENTIA Quæ ista sunt? quasi diceret nos habemus. Quæque magnarum domorum omnis in se ipsa habet quæcumque MAGNICAS esse possit continere nempe Circuta, Fora, Templa, Fontes, Balnea diversa Ideo poeta dixit -

Una domus URBS est, urbs OPPIDA pluria claudit

quidem decem columnas centum millibus nummum emere minime piguit (a); et Cicero ita harum rerum græcarum comparandarum ardore flagrabat (b), ut sese prope dignum reprehensione profiteri non dubitaverit (c). Ceterum cum unicuique liceret tabulis aere, lapidibus sese, suaque implere (d) ita præter privatas aedes universa etiam urbs statuis brevi tempore referta est, ut nimia earum copia, præter marmoreos equos, leones, sphynges, aliarumque animalium figuras, columnas, atque obeliscos urbem ipsam non ornaret modo, verum etiam angustiorem faceret (e). A quo quidem perbellum proverbium exortum est, *fuisse* Romæ populum lapideum, aeneumque, qui penitus ipsos Romanos cives æquaret (*f*).

(*a*) Meurs de luxu Romanor. cap. 12. Adeoque Cn. Domitius L. Crasso decem tales æstimavit tricies sesterlio, sive centies et quinquagies mille florenis. Valer. Maxim lib. 9 cap. 1. Cn. Domitius L. Crasso collegæ suo altercatione orta objecit, quod columnas Hymettias in portico haberet. Quam continuo Crassus, quanti ipse domum suam æstimaret, interrogavit. Atque ut respondit sexagies sesterlio. Quanto ergo eam inquit, minoris fore æstimas, si decem arbusculas inde succidero? ipso tricies sesterlio, ait Domitius.

(*b*) Cicero ad Familiar. Epist. lib. 1. epist. 1. 2. 3. 5. 7. 8. et passim alibi ad Atticum.

(*c*) Cicero ubi supra lib. 1. epist. 6. ad Atticum.

(*d*) Dio cap. 49. nihil de statuarum dicam multitudine, quorum tria genera aspiciuntur in Urbe etc. primi generis Imperatorum sunt etc. licet autem unicuique qui velit, pictura, cera, lapideque suam effigiem publicare, et ita tam domus, quam villas ex Amicorum statuis et simulacris implere.

(*e*) Lipsius de Magnit. Romæ lib. 3. cap. 9. Unum etiam de his operibus monendum de statuis, quarum incredibilis multitudo, species, pretiumque est — — — quia urnis cuprii et urbem, vias, vicos non ornabant, sed stipabant, et arctabant.

(*f*) Cassiodor. lib. 7. variar. form. 15. conspicio expressas in ære venas, nervos quasi gradu tensos, et sic hominem fusum in diversas similitudines ut credas potius esse generatum. Has primum Thusci in Italia invenisse referuntur, quas amplexa posteritas pene parem populum Urbi dedit, quem

Quamvis vero hanc nimiam populi Romani licentiam in statuis exstruendis, atque ponendis merito procedente aetate cohibuerit primum Caligula (a); deinde Claudius Imperator (b), et postremo etiam Arcadius, et Honorius (c); non proinde tamen Romanorum ardor exaruit erga digniora, et mirabiliora monumenta. Cum enim illa saepe saepius sanguine, et periculis comparassent, perattentos etiam in iis conservandis tum cives, tum etiam multo magis

natura procreavit. Boissaut dissertation sur les Statues dans le Journal, des Scavants tom. 14. pag. 193. tout etait rempli de statues que le merité ou la flaterie avaient elevees: et cela a fait dire assez ingenieusement a un ancien — qu'il y avait dans Rome un peuple de marbre, et de bronze, qui egalait presque le nombre des Citoyens.

(a) Svetonius in Caligul. cap. 34. n. 3. Statuas virorum illustrium ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium Campum collatas ita subvertit, disjecitque ut restitui salvis titulis non valuerint. Vetuitque posthac viventium cuiquam usquam Statuam aut imaginem, nisi consulto se, et auctore poni.

(b) Lipsius de Magnitud. Roman. lib. 3. cap. 9. — — edixitque Claudius nequis in posterum privatus poneret nisi publicum munus reddidisset, et nisi Senatus permissu, quo nimia jam copia. Dio cap. 60. pag. 681. quoniam vero Urbs imaginibus replebatur, plerasque earum loco movit Claudius interdicto ne quis in posterum privatos injussu Senatu hoc egeret. Boissaut loco cit. Caligula et Claudius s'opposerent aux entreprises des particuliers. Le premier defendit de dresser aucune statue que par son ordre: l'autre remit au Senat ce droit de decerner des statues.

(c) Leg. 1. Cod. de Stat. et Imaginib. Si quis Judicum acceperit aeneas, vel argenteas, vel marmoreas statuas extra imperiale beneficium in administratione positus detegetur, emolumenta, quae accepit in ea positus dignitate, quam polluit cum extortis titulis, vel praesumptis, in quadruplo fisco nostro inferat, simulque noverit aestimationis suae poenam se subiturum. Nec eos sane a periculo pudoris volumus habere immunes qui adulandi studio, aut metu inconstantis ignaviae transire quae sunt interdicta tentaverint.

se se præbuerunt Imperatores. Hinc publicus ad statuas præsertim tuendas, conservandasque fuit constitutus Magistratus, qui Comes Romanus vocabatur (a), quique milites etiam sibi addictos habebat pro nocturna statuarum custodia (b). Hinc nedum urbs Roma, sed præclariora municipia nummos perpetuos redditus quorumlibet monumentorum instaurationi addixerunt (c). Hinc denique provisum quam maxime est, ut et ipsi privati ad eorumdem refectionem incenderentur, tum data cuilibet id faciendi licentia (d); tum vetito ne nova quæque inchoarentur, priusquam vetera complerentur (e).

(a) Bulenger de pict. plastic. lib. 1. cap. 21. Cura statuarum omnium penes Comitem Romanum erat.

(b) Lipsius de Magnit. Rom. lib. 3 cap. 9. Miles in Urbe excubabat, Urbanus ille et vigilum ad templa, ad loca item publica: sed præterea certus etiam Præfectus huic statuarum custodiæ, et qui militem habebat; vocabant id officii COMITIVAM ROMANAM, et formula ejus hæc in Cassiodoro legitur — si clausis etc. quæ in plateis pretiosum ceperit quod possit auferri — per indictionem illam COMITIVÆ ROMANÆ tibi concedimus dignitatem. Officium tuum, et milites consuetis noctibus potius invigilare compelle: in die autem civitas in ipsa custodit. Atque hic COMES ROMANUS APPELLATUS quia Romam, et ejus opera servabat.

(c) Cicero ad familiar. lib. 13. epist. II. Quorum quidem commoda omnia et facultates omnes, quibus et sacra conficere, et sarta tecta ædium sacrarum, locorumque communium tueri possint, consistunt in vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia — et Leg. 18 26 32. 33. et 48. Cod. Theodos. de operib. public.

(d) Leg. 4 de Operib. public. Intra Urbem Romam veterem, et novam nullus Judicum novum opus informet, quotiens serenitatis nostræ arbitrio cessabunt, nisi ex sui pecunia hujusmodi opus construere voluerit. *Ea tamen restaurandi, quæ jam deformibus ruinis intercidisse dicuntur, universis licentiam damus.*

(f) Hunc locum confirmant supraelatæ legis caput primum, et Leg. 3. 14. 15. 17. 21. 29. Cod. Theodos. de operib. public.

Et quoniam multi non deerant, qui publicæ utilitati, et decori proprium commodum anteferrent, iique lapides, aliaque hujusmodi ab urbe in proprias possessiones transferrent, vel iis uterentur, ut calcem inde traherent ad sua elevanda aedificia, vel denique promercii causa eadem aedificia demolirentur, at lapides illinc transferrent, adversus hos omnes cautum est Senatusconsulto, quod Hadriano imperante factum fuit Aviola, et Pansa Consulibus, quo aedificiorum demolitio hanc ob causam gravissime vetita est (a), tum Valentis, Gratiani, et Valentiniani Imperatorum constitutione, qua ne ad aedificiorum fundamenta marmorum frustulo adhiberi posset provisum fuit (b) tum Imperatoris Constantini altera, qua ut severissime in illos animadverteretur jussum est, qui coquendæ calcis gratia columnas, vel marmora auferrent, aut illa ablata emere

---

(a) Leg 52 ff de contrahen. empt. Senatus censuit, ne quis domum villamve dirueret, quo plus sibi adquireretur, neve quis negotiandi causa eorum quid emeret, venderetve, pœna in eum, qui adversus Senatusconsultum fecisset constituta, ut duplum ejus quanti emisset, in ærarium inferre cogeretur, ei eum vero qui vendidisset, ut irrita fieret venditio Et Leg. 41 ff de legat 1 § 2 Si quis alicui legaverit, licere lapidem CÆDERE quæsitum est an ad heredem hoc legatum transeat? Et Marcellus negat.

(b) Leg 19. Cod. Theodos de operib. pub Nemo præfectorum urbis, aliorumve Judicum quos potestas in excelsa locat, opus aliquod novum in Urbe Roma Moliatur, sed excolendis veteribus intendat animum. Novum quoque opus qui volet in Urbe moliri sua pecunia, suis operibus absolvat, USU contractis veteribus emolumentis, NON effossis nobilium operum substructionibus, NON redivivis de publica saxis, NON MARMORUM FRUSTIS SPOLIATARUM AEDIUM DEFORMATIONE CONVULSIS.

usui fuissent (*a*); tum denique per Constitutionem Constantini quæ voluit agresti possessione illos privari, qui illuc ex urbe sua marmora, et columnas transtulissent (*b*). Quin imo adeo placuisse Romanis legibus istum statuarum ornatus visus est, ut in omnibus nobilibus domibus abundarent, et ne eas quidem permissum fuerit ab ipsorum dominis legari (*c*) si moveri de suo loco deberent, sed tantummodo earumdem usumfructum legari voluerunt (*d*).

Ceterum in quo frequentius peccatum in urbe fuit, aliisque populi Romani provinciis fuit in præsertim de qua loquimur translatione lapidum et veterum ornamentorum, quæ multas ob causas sæpius evenire solebat. Hoc absurdum cohibere efficaciter studuerunt Imperatores tum multis editis legibus (*e*),

---

(*a*) Leg. 2. Cod. Theod. de sepulcris violat. Universi itaque qui de monumentis columnas, vel marmora abstulerunt vel coquendæ calcis gratia lapides dejecerunt singulas libras auri per singula sepulcra fisco inferant. Eadem etiam pœnæ qui dissiparunt, vel minuerunt ornatum, teneantur: et qui posita in agris suis monumenta calcis coctoribus vendiderunt, una cum his, qui ausi sunt comparare. Sed et pœnas, severiores indixit eam leg. 6. Cod. eod. præscriptum est quod Quisquis hujus præcepti neglegens fuerit atque aliquid quale ab hujus interminatione præcepti ausus fuit moliri, tertia ei futurum patrimonii parte mulctetur.

(*b*) Leg. 6. Cod. de ædificiis privat. Si quis post hanc legem civitate spoliata, ornatum, hoc est marmora, vel columnas, ad rura transtulerit privetur ea possessione, quam ita ornaverit.

(*c*) Leg. 41. §. 1. ff. de legat. I. quam supra retulimus pag. 25 Not. A.

(*d*) Leg. 47. ff. de usufructu — Statuæ, et imaginis usumfructum posse relinqui magis est, quia, et ipsæ habent aliquam utilitatem, si quo loco opportuno ponantur.

(*e*) Leg. 1. Cod. Theod. de operib. public. Nemo propriis ornamentis esse privandas existimet civitates. Fas siquidem non est acceptum a veteribus decus perdere civitatem, veluti

tum maxime lege illa, quæ ordine septima est *Cod. de aedificiis privatis*, quæque mihi scribendi rationem præbuit in themate quod proposui. Dedit enim Imperator Julianus ad Vittenum, seu potius ut probant Cujacius (*a*) et Gothofredus (*b*) *Avitianum* præfectum Africæ, qui quidem Chartagine commorari solitus erat (*c*), et cum inscripta sit eodem Juliano *A. IV*, et Salustio coss. dubitandum non est latam eamdem fuisse anno a salute Christi 363, in quo Consulatum hunc incidisse communior auctorum sententia est (*d*) Ita autem se habet: NEMINI COLUMNAS VEL STATUAS CUIUSCUMQUE MATERIÆ EX UNA *eademque provincia vel auferre liceat* VEL MOVERE.

Manifestum igitur est ex ejusdem legis verbis, nulli umquam permissum esse vetera monumenta,

ad urbis alterius mœnia transferendum. Leg. 14 cod. eod. Præsumptionem judicum alterius prohibemus, qui in eversione abditorum oppidorum Petropolis vel splendidissimas civitates ornare se fingunt, transferendorum signorum, vel vel marmorum columnarum materiam requirentes.

(*a*) Cujacius ad titul. 10. Cod. de aedific. priv. edit. Neapolit. tom. 3 pag. 553 litt. E et tom 9 pag 1175 litt. D. ubi ipse scribit ex Cod. Theodos. ad Avitianum.

(*b*) Lex 15 lib 8. Tit. V Cod. Theodosiano sic inscripta est ulem AD AVITIANUM vicarium Africæ.

(*c*) Avitianus ut Vicarius Africæ non solum hac lege jussum recepit ab Imperatore sed pluribus litteris quæ extant apud Iampridium: videtur autem quod populorum effrænæ licentia nihili aestimabat etiam Vicarii autoritatem, tantus erat ardor transferendi lapides ad unam modo, alteram modo civitatem ornandam, ex qua licentia ea relata lege prohibita est marmorum, et lapidum quorumcumque translatio, ac deinde perscriptum etiam pondus in illorum asportatione ut aliquo modo cohiberi posset ardor translationis marmorum.

(*d*) Petavius rationarium temporum tom. 2. lib. 13 Hoc enim anno qui tertius erat Juliani, erat urbis conditæ 1116, olympiados III° contestantur Theodoretus §1. cap. 2. et alii quos Petavius refert.

et præsertim statuas, et columnas, quæ in ea commemorantur ex una in aliam Provinciam qualibet de causa transferre. Nempe ut ibi MANEANT, uti advertit *Franciscus Raguellus* in Commentariis ad eamdem legem (a) *ubi semel ad decus Civitatis vel spendi, vel ad aedificiorum ornatum positæ sunt*. Sed tamen negari nequit inconciliabilem prima fronte difficultatem obversari huic legi, et eleganti ratione prædicti Commentatoris e lege antecedenti, in qua statuerat Imperator: *ut si quis ex alia in aliam Civitatem labentium parietum marmora, vel columnas de propriis domibus in proprias transferre voluerit, quoniam utrobique haec esse publicum decus est, licenter hoc faciat.*

Ex qua apparenti contradictione factum est, ut multi unam, multi aliam dederint huic legi interpretationem (b), seu potius ut recte observat Cuja-

(a) Ad tit. Cod. de interdictis Leg. 7 de aedific. privatis. Privatis ergo concessa est marmorum translatio ad ornatum, et etiamsum rultum ardiora; quod tamen hæc lex septima prohibere videtur, verum non loquitur de rudi et infecta materia, sed de columnis et statuis, quas nemo, cujuscumque materiæ fuerint auferre vel movere potest ex alia vel ex eadem provincia: nempe ut ibi MANEANT ubi semel ut ego notavi, nisi forte dominus aedificii de domo sua in aliam domum suam ejusdem civitatis columnas, statuas, marmora transferat, vel ex una civitate in aliam civitatem de propriis aedibus in alias aeque suas aedes leg. 2 leg. 6. hujus tituli. Quæ exceptio adjicienda est huic legi: nec alia quærenda conciliatio: nec tamen placet Cujacii interpretatio.

(b) Gephanius hic ad leg. 6 et 7. Hæ duæ pugnare videntur: nam 6. columnas ex una civitate in aliam transferre permittit 7 vetat. illa vetat marmora transferre de una in aliam civitatem, rursus de domo in villam: ista permittit de urbe in urbem. Differentiæ autem inter urbem, et agrum perspicua est ratio, quia ornatus et columnæ urbibus et domibus magis conveniunt quam agris, et villis Cujus ornatus

eius (a) in eam vaticinati sunt, et divinaverint. Sed tamen haud parum mihi videtur divinatus esse idem Cujacius (b), qui putat non alium scopum hujus constitutionis fuisse, nisi *ne ad transferenda marmora privatorum vehiculo, aut jumenta Provincialium in Civitatibus ad Canalem*, id est viam publicam (c) *commoveantur*. Cujus quidem auctoris sententiæ suum calculum adjicit etiam Gothofredus (d), qui putat tan-

et decoris magna ratio habetur in urbe Sed recte Cujacius lib. 19 obs 21 legem 7 quæ prohibituas statuas vel columnas transferri quod tamen permittitur in dicta leg 7 ita accepit ut liceat cuique suas columnas, suis vehiculis transferre. Quæ ejus interpretatio legi etc conformis est

(a) Cujacius ad d tit. edit Neapolit. tom. 9. pag 1175. ante lit. D. Alii dicunt in leg 7. translationem columnarum et statuarum eam tantum prohiberi quæ fit promercii, non ornandarum aliarum aedium causa. Hoc alii dicunt, idest vaticinantur, et divinant. Nam in leg. 1. hac de re nullum verbum.

(b) Ibidem sub littera E ubi sic suam divinationem pronunciat — Eam inquam nominatim translationem permitti in d leg 15 Et hoc tantum ea lege prohiberi, ne ad transferenda marmora in civitatibus vehicula vel jumenta provincialia adhibeantur.

(c) Cujacius ubi supra Gothofred. in Cod. Theod. lib. 8. tit 10. leg 5. Ne igitur ad transferenda marmora privatorum vehicula aut jumenta provincialium in civitatibus ad canalem promoveantur, addita ratione quod non sit aequum aliena sedium cultibus provincialium patrimonia lacerari Ut igitur privatus sua marmora transferat suis vehiculis

(d) In leg 6 et 7. Cod de aedific privatis non solum adjicit calculum, verum etiam illi accentum ac subscribit, cum enim de Cujacii interpretatione loquatur, sic inquit — Sed recte Cujacius lib. 19. observat 21 legem septimam, quæ prohibet, statuas, vel columnas ex una civitate in aliam transferri, quod tamen leg 6 permittitur his verbis si quis aucto etc. ita accepit, ut liceat cuique suas columnas suis vehiculis — non liceat autem vehiculis publicis — nec ibi nullam rationem addit ex qua recititudo observationis Cujacii demonstretur.

tummodo in ista lege translationem marmorum prohiberi, quæ fiat vehiculis publicis, sive provincialibus, nullibi vero, quæ fiat vehiculis propriis. Nec tandem diversimode ab iis putavit idem Gothofredus, cui opinio est non alterum revera hujus legis finem fuisse *ne otiosis aedium cultibus cursus publicus laceraretur* (a). Quorum quidem Jurisconsultorum interpretationi, seu potius divinationi si esset revera attendendum, non dissimulor multum pondus eidem afferri posse ex iis, quæ de proclivitate Juliani ad subditos sublevandos ab omni tributorum, et angariarum cujusenmque generis onere inveniuntur apud auctores, quos diligenter, et erudite collegit supra laudatus Gothofredus: quibus etiam addi potest auctor historiæ Miscellæ, qui de eodem Imperatore sermonem faciens aperte asserit, quod abscidit etiam publicum cursum mularum, et Caballorum (b).

Verumtamen dissentiunt communiter ab hac opinione alii interpretes, quos inter Brunemannus admittit quidem posse *columnas*, et marmora de una in aliam Urbem transferri, sed tamen nisi Urbis aspectus deformetur. Saliceto autem non aliam conciliationem inter utrasque leges admitti posse visum fuerat, nisi si marmora, quæ de una in alteram Civitatem adsportantur, *auferantur de labenti aedificio* (c). Atque ex eadem ratione argumentum de-

(a) Gothofred. in Comment. ad Leg. 15. Cod. Theod. de cursu public. et ad Leg. 1. ibid. de operib. public.

(b) Lib. II. apud Murator. rerum Italicarum tom. I. pag. 77. Scriptores autem plurimos antiquæ fortunæ restituens, reliquis eorum mercedem scripturæ dare præcepit. Abscidit quoque etiam publicum cursum mularum, et caballorum. Hæc ejus opera laudant pauci, vituperant multi.

(c) Fuit propterea in præcitata leg. 6. Cad. de aedificiis privat. non solum marmorum, et lapidum translatio ve-

sampserat etiam, non licere unum altare spoliare, ut aliud ornaretur, nisi cum decorandum altare jam fuisset labefactatum (*a*) Quæ quidem Jurisconsulti sententia approbata etiam alio loco a Supralaudato Gothofredo (*b*) non adeo dissentire a fine, et scopo *illius legis sextæ* videtur, nisi quod liberaliores in utrisque legibus conciliandis sese demonstrant Baldus (*c*), et Perezius (*d*), qui aut de labenti aedificio, aut etiam

---

tata, sina etiam fuit concessa ex eadem lege cuique facultas transportandi de una in aliam civitatem dummodo de labentibus edificiis essent, eaque fuit ratio, quæ publicum decus, cujus sommopere Imperatores curabant ampliationem, non adimit in labentibus aedificiis, imo ad publicum decus erat ex iis auferre ut nova construerentur.

(*a*) Salic. in Cod. de aedific. priv. Leg. 6. Non quod non licet unum altare decorare, ut aliud ornetur, nisi cum decorandum sit labefactum.

(*b*) Gothofred. in Comment. Leg. 1. Cod. Theod. de oper. public. § excipiendus. Excipiendus casus est quo publicum aedificium sit ornandum de columnis quæ distractæ sunt a labenti aedificio.

(*c*) Baldus in Leg. 7. Cod. de aedific. priv. E civitate ad rus non licet, a rure ad civitatem, et ab una ad aliam civitatem, ubi solidalm dominus suaous statuas vel columnas transferre licet.

(*d*) Perezius ad tit. Cod. de aedific. privat. N. 7. Et quamvis jure naturali et civili rei suæ quisque sit moderator et arbiter tamen hoc temperatur etiam circa aedificia, quippequæ non licent Dominis dextruere, neque marmora aut columnas ex ipsis aedificiis distrahere negotiandi causa multoque minus ea a civitate ad rura transferre, interest enim reipublicæ publicum civitatis aspectum non deformari — Ceterum de civitate una in aliam, de domo in aliam trasferre quædam licere exceptum est, dummodo statuæ, et columnæ, quæ transferuntur, sumantur ex parietibus labentibus, et in alia ejusdem domini possessione reponantur, quamam crebique lure esse publicum decus est Leg. 6. hoc tit. cui non adversatur lex septima, quæ non loquitur de rudi, et infecta materia, ut quidam putant, sed de columnis integris, et statuis, quæ omne transferre, vel auferre potest ex eadem

de integro columnæ, ac marmora transferantur, parum interesse arbitrantur, dummodo tamen qui ea transfert Dominus sit utriusque aedificii, ita ut de sua tantum domo in alteram aeque suam transferre ille possit. Annuere quoque videtur hujusmodi interpretationi alio loco Cujacius (a), atque eidem præ aliis omnibus sese subscripsit Franciscus Raguellus (b), qui monet non aliam inter utrasque Leges conciliationem quærendam esse, aperteque interim rejicit commentum, quo in iisdem sociandis Cujacius anterius usus fuerat.

Posito igitur hoc modo legis scopo, et interpretatione, videtur ita extendenda esse ejus dispositio, ut si statuæ in publico sint, ne dum earum Dominis, et iis in quorum honorem positæ sunt, eas detrahere non liceat; sed neque ob ipsorum Creditoribus, positis sub hasta eorumdem bonis, vendi possint (c).

---

provincia, excipe ut dixi, nisi forte dominus aedificii de domo sua in aliam aeque suam monumenta ista transferre voluerit, quod et permissum est a dicta lege sexta — En itaque legum conciliatio, ita ut unius dispositio executioni mandari possit absque quod alteri contradicatur.

(a) Cujacius ad Leg. 41. ff de legat. 1. edit. Neapolit tom. 7 pag. 1028 litt. D Ex rure ad rus non licet, quia contra publicum decus de domo in aliam domum aeque nostram ornatum transferre possumus.

(b) Ad Leg. 7. Cod de aedific. priv. Observatum est a peritissimo Cujacio lib. 19 cap. 19 hanc legem 7 conjungendam esse cum Leg. 1. Cod. Theod de indulg. debitor. et Leg. 2 eod Cod. de itinere muniendo, et Leg. 15 eod. Cod de cursu publico verumtamen — etc atque hic sequitur opinio Raguelli contra sententiam antiquiorem Cujacii hanc autem et illam retuli supra pag. 29 not. A.

(c) Leg. statuas 41 de acquir. rerum dominio ubi praescribitur — ne liceat privato auferre, nec iis qui posuerit — et Leg. Aufidius 13. ff. de privileg. Credit. Aufidius refert statuas in publico positas, bonis distractis ejus, cujus in

Roin est nedum sensus humanitatis quidem, ne debitoris bonis distractis etiam solatium ejus famæ, statuæ nempe in ejusdem honorem positæ distraherentur (a). Sed quia alterius statuæ haud in dominium emptoris bonorum venire poterant, cum vel publice acquisitæ fuissent, vel ei, cui jam essent dicatæ (b). Quod quidem etiam magis dicendum esset si statuæ, sive columnæ in sepulcro positæ essent. Cum enim ultra jam adeptum eorum dominium religionis etiam cultus occurreret tam ex Atheniensium (c), quam ex

---

honorem positæ sunt, non esse emptoris bonorum ejus, sed aut publicam, si ornandi municipii causa positæ sunt aut ejus in honorem positæ sunt: AT NULLO MODO EAS DISTRAHI POSSE; et Leg. XI ff. quod vi aut clam § 1. ubi quæritum est an interdicto quod vi aut clam agi possit, et adest scolion Cassii — quia poterit ejus eam non tolli Municipes autem etiam furti acturos: quia res eorum sit quasi publicata.

(a) Donellus in Comment. de jure Civili lib. 23 cap. 13. § 3. Sed humanitatis causa ne cum ipsis bonis etiam solatium vitæ, et famæ adimatur, placuit non tantum re integra, sed etiam bonis jam venditis excipi et statuas, quæ in honorem debitoris in publico positæ sint, Leg. Fulcinius 29. ff. de rebus auctor. judic. possid. Vander eruditissime plæclariorem rationem adducit, ex qua Imperatores eam legem tulerunt: nam nascebat sæpe Clarissimorum virorum, quibus statum positæ, bona creditoribus non satisfecisse, veluti Livius lib. 2. demonstrat de Menenio Agrippa, cui sumptus funeri curando defuerunt.

(b) Quæ sanctio non solum o d. Lege Fulcinius confirmatur sed ex modo cit. Leg. 41. de acquir. rer domin et Leg. Aufidius 13. de privileg. credit. et Leg. 12 qui in puteum 11 ff. quod vi, aut clam, et erudite demonstrat Heineccius oper. tom. 7. ad Leg. Juliam et Papiam Poppæam lib 3 cap 6. et ad Cap 5 de Caduc. § 3.

(c) Cicero in lib. 2. de legibus cap. 26. demonstrat dispositionem juris in hujusmodi re, atque ita inquit — De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius quam Ne-

Romanorum (a) legibus severissime puniendus fuisset, qui illas a sepulchro eodem dejicere aut, frangere quomodolibet pertentasset.

Quin imo ita statuarum distractio *nemini* conceditur, ut si quis Judicum tantum aliquam ipsarum partem, et ornamenta sibi vindicare ausus sit nedum gravi pœna afficiendus idem erit, sed et in eamdem pœnam incident civitatis Magistratus, qui hæc fieri permiserint, nec se se tanto facinori opposuerint. Ita statuerunt Arcadius et Honorius (b) totidem pene verbis Theodoro Præfecto Prætorio mandantes, quod si Judex quilibet *ex diversis operibus aeramen, et marmora, vel quamlibet speciem, quæ fuisse in usu vel ornatu probabitur Civitatis eripere, vel alia transferre sine jussu tuæ sublimitatis audeat, tribus libris auri mulctabitur*; addentes eamdem pœnam Citatum ordines subituros, *nisi ornamentum genitalis patriæ decreti hujus auctoritate defenderint.*

Quæ quidem leges hactenus commemoratæ quamvis ardorem ostendant, et zelotypiam qua publica

---

quis ea deleat, neve alienum inferat — pœnaque est *si quis bustum* (nam id puto appellari τύμβοι) *aut monumentum* sequit, *aut columnam violarit, dejecerit, fregerit*. Sed post aliquanto propter has amplitudines sepulcrorum quas in Ceramico videmus, lege sanctum est. *Ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo.* Neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos, quos vocant, licebat imponi.

(a) Leg. 2. ff. de sepulcro violato — Si quis sepulcrum quis diruat, cessat Aquilia et ita de statua de monumento evulsa Celsus scribit. Paulus Lib. 1 sentent recept. de sepulcr. ola demonstrat quod si quis damnatus fuerit actione in factum de sepulcro violato, est infamis.

(b) Sunt verba Legis 12 Cod Justin de operibus publicis, quæ est lex 37 Cod. Theodos. end

monumenta, et statuas conservebant Imperatores, casus non abest tamen, quo ne dum permittatur, sed imo aperte mandetur easdem detrahere atque dispergere. Si nempe is, cui statua dicata erat, relegetus, vel deportatus postea fuerit crimine Majestatis, tunc ejusdem statuam necesse est e Republicæ sinu auferre (a) ita ut nonnulli, qui Bruti, et Cassii imaginem conservabant, quos ejus criminis reos decreverat Claudius NERO pœna capitis affecti sint (b). Neque desunt exempla illorum, qui graviorum criminum rei honore statuarum ipsis antea positarum privati sint: ut de quodam gladiatore parricida Lampridius testatur (c). Aliquando autem in more fuit Tyrannorum statuas non penitus dejicere, sed capite tantum ipsarum mutato, alterum illius qui eosdem vicerat, super imponere (d). Quamvis non raro eædem alterum etiam

(a) Leg. Eorum 24 ff. de pœnis — Eorum qui relegati, vel deportati sunt ex causa majestatis, statuas detrahendas scire debemus. Ferner. rerum quotidianar. lib. 2 cap. 17. ubi Tacitum refert lib. 14 et 15 annal. Tull. Philipp. 1. cap. 13. Valer. Maxim. lib. 6. cap. 13. et 10 his memoria eorum damnata legitur, et nomina erasa inspiciuntur, sed quod *statuas etiam titulos, imagines easdem ex causa detrahere mors fuit.*

(b) Sveton. in Neron. cap. 37. — Nullus posthac adhibitus delectus, aut modus interimendi quoscumque libuisset quacumque de causa. Sed ne pluribus referam... Salvidieno Orphito objectum est quod Statuam Bruti conservasset; Cassio Longino jurisconsulto, ac luminibus orbato, quod in vetere gentili stemmate C. Cassii percussoris Cæsaris imagines retinuisset. Peto Thraseæ tristior et pædagogi vultus. Mori jussis non amplius quam horarum spatium dabat.

(c) Lamprid. in Commod. jam vero Imperator Statuam, quæ in adolescentia ei fuerat dedicata, dejicere jubet — Parricidæ gladiatoris, memoria aboleatur: Parricidæ gladiatoris statuæ detrahantur.

(d) Hieronym. in Habacuc. cap. 3. Si quando tyrannus

eorumque magnarum contumeliarum genere a Plebe affectæ sint, quas modo dejiciebat, et obtruncabat (a), modo frangebat, et ad viles usus ignibus excoquebat (b), modo per urbem trahebat, atque raptabat, modo ad eas mejebat (c) lutoque conquinabat (d), omni denique injuriarum genere afficiebat (e).

---

detruncatur, imagines quoque ejus deponuntur, et statuæ, et vultu tantummodo commutato ablatoque capite, ejus qui vicerit faciei superponitur Sveton. in Nerone et in Domit. cap. ult. vel truncato capite aliud corpori superimponebatur.

(a) Liv. decad. 4. lib. I. cap. 21. Quo et majoris ignominiæ causa plerumque avulsæ statuæ vel affigebantur solo, vel detruncabantur.

(b) Juv. Satyr. 10. vers. 56. et seqq.

. . . . . descendunt statuæ, restemque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, et immeritis franguntur crura caballis,
Jam strident ignes, jam follibus, atque caminis
Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens
Sejanus deinde . . . .
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ,
. . . . . gaudent omnes, quæ labra? quis illi
Vultus erat? numquam si quid mihi credis amavi
Hunc hominem . . . . .

(c) Idem Satyr. 1. vers. 131.

Cujus ad effigiem non tantum mejere fas est.

(d) Tacit. annal. lib. 3. cap. 14. Effigiesque Pisonis traxerant in gemonias, ac divellebant. Farnes. rer. quotid. lib. 2. cap. 17. vel luto vel quo alio re conspurcabantur, et in latrinas dejiciebantur.

(e) Lampridius in Heliogabal. cap. 13 ubi enumerat omnes injurias, quibus Romani Statuas afficiebant atque hujus sceleris originem petit ab ipso Heliogabalo, qui Apollinis statuæ caput obtruncare fecit, suumque superimponere, se prædicans talem esse, ac deinde cæterorum Numinum statuas omnes disjecit, et in locum improbum transferre fecit, quo ducta exemplo plebs in eas injurias attulit, quas improbissimas excogitari ab ea potuerant. Dufelb. Hist. Eccl. g. 11.

Quamvis autem lex ista, antequam tractemus, tantummodo aperte jubeat ne *columnas*, aut *statuas movere liceat*; non immerito quæri posse mihi videtur, an etiam ad alia monumenta ejusdem legis dispositio referri valeat. Fateor multam diversitatem prima fronte apparere inter statuas, atque columnas, aliaque alterius generis monumenta. Vetustas enim maxime venerata est columnas, et statuas, ita ut quasi aliqua phrenesi ægra easdam capta fuisse videretur. Hinc statuas etiam humanas et hominum privatorum eas adorasse, et thuribus placavisse (*a*). Hinc ad illas Imperatorum, regumque confugientes omni solutos nexu, et veluti inviolabiles habuisse (*b*). Hinc Plebem præsertim Romanam maximis pœnis affecisse eos, qui Marsiæ, aut cujuslibet alterius statuam sibi præ ceteris benevisam violasset (*c*). Hinc

(*a*) Raissant Dissertation sur les Statues dans le Journal de Paris Tom. 16 pag. 193. -- En un mot la veneration que l'on avait pour ces Statues a passé jusqu'à l'excez. On les couronnait de fleurs. On leur offrait de l'encens, et de victimes, comme a celles des Dieux. Elles servoient d'azile à ceux qui y avaient recours, et l'on a veu des Rois y venir a deposer leur diademe.

(*b*) Leg. unica Cod. de iis qui ad Statuas confug. Qui ad statuas vel vitandi metus, vel creandæ invidiæ causa confugerint, si certas habuerint causas, quibus confugere ad Imperatoris simulacra debuerint, jure, ac legibus vindicentur, -- Cujus legis auctoritatem, et observantiam confirmant Tacitus annal. lib. 2. Gellius lib. 10. cap. 15. Orlander de asyl. gentil. Balanger de pict. plastic. cap. 19. et Raissant in supra relata Dissertation sur le statues dans le journal de Paris etc.

(*c*) Heinnec. oper. tom. 7. in hist. Edict. Nos addimus libellos famosos, et fortassis etiam picturas ad differendam alius famam comparatas, plerumque pependisse ex Marsyæ statua in regione Urbis octava. Eam tanta religione cole-

penes columnas Creditoris aspectum refugientes pro vere latitantibus haberi debuisse (a) Hinc denique tot alia inventes constituta esse quoad statuas, atque columnas, quæ frustra quæres quoad cetera ejusdem, aut majoris ponderis monumenta.

Sed tamen si quod hac in lege deest, ex aliis legibus, ut admonet Jurisconsultus (b) suppleatur, nulla difficultas oriri potest, quin etiam cetera monumenta, si qua speciali cura Reipublicæ digna fuerint sub prohibitione ea amovendi, aut transferendi cadere debeant. Moveor a *lege II. eodem titulo*, in qua dum negociatio ejusdem generis rerum prohibetur *marmora* in genere nominantur, quin eadem ad statuas, atque columnas coarctentur. Idem statuisse videtur Imperator *in Leg. IV. tituli citati* dum marmora pariter in genere, atque columnas haberi voluit pro ornatibus Civitatum, atque eadem transferri in agros vetat. Quid quod in supralaudata *lege XII. Cod. de operibus publicis* consulitur, ne quis Judicum ornamenta, aut marmora, vel QUAMLIBET SPECIEM quæ fuerit in usu Civitatis eripere audeat, ex qua intelligitur Legislatores eodem modo præter statuas, atque columnas præ oculis habuisse quæ ad decus, et ornatum urbium conducerent. Denique dum

---

haut Romani ut Publium Munaciam Placcum in vincula conjecerent triumviri, quod ebrius Marsyæ coronam demisisset, quod etiam colligitur ex Plin. Hist natur. lib 21 cap 3

(a) Leg. 20 ff. de privileg. Creditor. Eum qui circa columnas se occultat, ut creditorem evitet latitare placet. Nam et eum qui recedit, hoc est, qui subterfugit, ne secum aliqua actio moveatur, latitare placet — — nec enim interest quod attinet ad latitandum utrum quis profugit, an vero Romæ agens copiam sui non faciat.

(b) Cujacius ubi supra.

idem apertissime prohibetur in *Codice Theodosiano lege I. eodem* titulo, illam genericam, prout vidimus, rationem affert Imperator, quod siquidem FAS NON EST ACCEPTUM A VETERIBUS DECUS PERDERE CIVITATEM. Quae quidem ratio cum omni monumentorum generi perbelle accomodetur, haud hinc dubitandum est, eam in Lege nostra fuisse mentem Imperatoris, ut nullum unquam monumentorum transferre, vel amovere fas esset.

Quid autem num monumenta, si quae sint vilioris materiae, et minuri cura digna sive columnae sint, sive statuae, sive alterius cujuscumque generis Reipublicae non ut meliora interesse debeant? Qua quidem in re praemittendum est, alias esse statuas ex molli materia (a), veluti ex cera, ex gypso, aut creta, quae quidem ob ejusdem materiae facilitatem primae certe ante omnes in usu fuerunt (b) alias esse ex dura materia (c) veluti marmoreas, ceterasque hujusmodi generis, atque alias demum ex fusili (d) ve-

(a) Demetion de sculptura veter. lib. 1, cap. 1. ubi divisionem proponit statuarum quoad materiam quam mollem, duram, et fusilem vocat ceram, gypsum, aretam, marmor, et lignum, quodcumque genus metalli excepto ferro, quod fusile primum reddidit Theodorus Samius: deinde quoad magnitudinem dividit statuas in minores, majores, et colossales denique quoad ordinem in equestres, et curules.

(b) Bulenger. de pict. plastis. lib. 1. cap. 19. Hominis imaginem gypso a facie ipsa primus omnium expressit, ceraque in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi. Hic et similitudinem reddere instituit. Demention opere quo supra — Alia signa *quae prima* ex luto fecere unde Martialis lib. 14. Epigrammat. cecinit

Sum fragilis, sed tu, moneo ne sperne sigillum.

(c) Demontion ubi supra.

(d) Idem loco citato.

luti aureas, aereasque, quod quidem statuarum genus tardius quam reliqua duo inductum esse facile quisque sibi persuadere potest, bonique auctores testentur (a). Subdivisae rursus statuae fuerunt, de quibus in secunda classe sermonem facimus in ligneas, quales certe primas fuisse (b) et praesertim ex ligno cedreo, atque pyreo ob eorum stabilitatem incontroversum est (c), in lapideas, atque marmoreas quae etiam eburneis ob materiae alborem et majorem stabilitatem praeferebantur, et tandem in ipsas eburneas, quarum et si exempla

(a) Bulenger de pict. plastic lib. 2. cap. 18. 19. Gauricius de sculpt. lib. 1. cap. IV. Dionysius de situ Orb. Pausanias in Laconica seu lib. 3. Hanc Sebiadem opus esse memorant Theodori Samii, qui aes, et ferrum fundere primus docuit, et ex eo signa fingere.

(b) Pausanias in Attica seu lib. I. Erectus est autem in Poliadis delubro Mercurius ligneus, inter myrti ramos valde conspicuus et in Eliac. posterior seu lib. 6. Suum habent et Gratiae templum: simulacra lignea sunt vestes inaurata et in Achaica seu lib. 7. Ligneum ibidem stat Minervae signum facie summis manibus ac pedibus eburneis, reliquum corpus inauratum, et coloribus distinctum est. Et in Arcadica seu lib. 8. Signa ejus templi os summas manus et imos pedes e Pario marmore habent, reliquae partes ligneae sunt. — Laurent. Variar. Sacr. gentil. ex testimonio Plinii refert. Ante Asiam devictam simulacra Romae lignea fuisse.

(c) Bulenger, de pict. plastic lib. 1. cap. 18. Ephesi in aede Dianae simulacrum e cedro ut et in ceteris nobilibus fanis propter ÆTERNITATEM factum est ut scribit Vitruvius lib. 2. aut e stipite vitis, qui diutissime perennat, ex quo etiam alia signa fuerunt efformata, ut videmus hodie in januis, quae Junonis templi fuerunt. Eusebius lib. III. de Praeparat. Peiras primus ex arboribus quae erant circa Tirynthum pyro excisa opulentum Junonis simulacrum efformavit, et coronis ornabitur. Dionys. de situ Orb. simulacrum alterum Ephesiae Dianae commemorat. Erat truncus olaneus πρέμνω, ἐνί πτελέης, unde urbs Ptelea dicta. Callimachos βρέτας φήγου ἐπὶ πρέμνω simulacrum in fagi stipite.

rariora (*a*) sint, scitum tamen est alteram dicatam fuisse Nicomedi Bithyniæ Regi (*b*); alteram Britannico in Foro Trajano (*c*).

Et quoad statuas ex fusili congerie compactas, quamvis inter eas laudatiores aerea fuerint cum nulla materia inter metalla magis in usu aut forte honoratior, quam aes apud Græcos, et Romanos credita sit, quoniam et vilius illud auro, argentoque, et tractabilius ferro, et durabilius plumbo, stannoque esset, non defuerunt passim multæ aeneæ, et argenteis etiam (*d*), aureisque fuit locus. Ac argenteæ quidem

---

(*a*) Ebur rarius sed tamen usum præbuisse video ex Sveton. in Tito Cap. 2. n. 5. ex Val. Maxim. lib. 1. ext. 7 ex Plinio lib. 33 cap. 12 lib. 36. cap. 5. ex Pausan. in eliac. prior. aliisque, quos inutile referre, cum relatorum auctoritas sit sufficiens, ad hoc ut veritas cognoscatur. Videat. Pitiscus Lexicon verbo statua.

(*b*) Pausanias in Eliac. prior pag. 159. Inter cætera vero opus fori insignio terctibus insistunt consimiles statuæ duæ ex electro una Augusti Cæsaris, altera ex EBORE, Nicomedis Bithyniæ Regis, de cujus nomine Urbs Bithyniæ maxima appellata est, cum ante Astacum nuncuparetur. Conditam quoddam dicitur a Zypæte homine Thrace, quantum ex ipso nominis voce conjici potest.

(c) Sveton. in Tit. cap. 2. N. 5. Quorum omnium mox memor, statuam ei AUREAM in palatio posuit, et alteram ex EBORE equestrem, quæ circensi pompa hodie quoque præfertur, dedicavit, prosecutusque est.

(*d*) Pitiscus in Lexicon verbo STATUA ubi aenearum statuarum usus multo frequens demonstratur, et ex Veterum scriptorum auctoritate, argentearum, et aurearum non tam infrequens Plin. lib 33 cap 12 argenti usum, inquit, in statuas primum ad honorem D. Augusti in adulationem temporis transisse falso existimatur. Iam enim triumpho Pompeii reperimus translatam Pharnacis statuam. Svet. in August. cap. 52. N. 2. Argenteas statuas sibi olim positas conflavit omnes. Idem in Domitian. 13. 5. Statuas sibi in Capitolio nonnisi aureas, et argenteas poni permisit. Caligula talem posuit

præsertim increbuerunt sub Augusto, aureis subsequentibus Imperatoribus non infrequens aditus datus fuit. Domitianus certe statuas sibi in Capitolio nonnisi ex auro, et argento poni permisit (a). Habuit etiam Commodus Imperator statuam auream mille librarum, cui vacca, et taurus, ceu novo Urbis conditori adjecta fuerunt (b) alteramque ex argento Theodosius in Arcadii honorem conflari jussit, cui pondus erat quadringentum, et septem mille librarum (c).

Jam vero nemini dubium oriri potest, marmoreas, eburneas, aureas, argenteas, alteriusque non aspernabilis materiæ statuas ex hac lege auferri non posse. In eo autem dubitatio aliqua suboriri posse videtur, scilicet, an si statuarum, aut alterius publici monumenti adeo vilis materia sit, ut vel ex ligno, aliave hujusmodi congerie componatur, an inquam, et ipsa sub prohibitione eadem auferendi contineantur

Idem 22. in Caligul. 7. In templo stabat simulacrum aureum iconicum. Brittannico Titus Posuit. Idem in Tit. 2. 5 Statuam ei auream in palatio posuit, ut supra vidimus.

(a) Sveton. in Domitian. Cap. 13 5. Statuas sibi in capitolio nonnisi aureas, et argenteas poni permisit. Lipsius de magnitud. Roman. lib 3. cap 9. ubi refert laudationem Plinii ad Trajanum qui hac in re moderatissimus fuit, et notatum voluit quod præ cæteris Domitianus ut laudatus Svetonius scripsit superbo arbitrio statuas illas sibi posuit.

(b) Lipsius in cit. lib 3 cap 9 de magnit. Roman. Quod autem ad illud pondus aliæ etiam graviores, ne dubita. Atque adeo Commodus Imperator statuam mille librarum habuit, cum tauro et vacca quasi Urbis conditor quod in Dionis compendio scriptum est.

(c) Raoussaut Dissertation sur les statues ubi supra. Caligola, Claudius, et Commode eurent des statues d'or, et il paroit encore quelque chose de magnificence Romaine au temps de Theodose, pour qui Arcadius en fit faire une d'argent, qui pesait jusqu'à 7400 livres.

tur? Qua in re si quidquam ornatus ex iis dimanet, ex aisque aliqua Urbis adsciscere sibi posit, non dubitaverim et eadem auferre non licere. Quis enim negare auserit magnum etiam decus, et pretium inesse posse aut statue fictili, ligneve, uti certe primæ statuæ in urbe fuerunt (a), aut columnæ, aut signis, alterique hujus furfuris monumento simul ac ea vel temporis lapsus, vel aliqua hujusmodi circumstantia aeternitatis auspicio condecoraverit? Fuisse autem mentem Imperatorum non intrinseco rerum valori consulere, sed decori, quod ex earumdem possessione Provinciis, Municipiisque premaus, et lex septima Cod, de aedific. privatis aliæque pena innumeræ, quarum plurimas hactenus attulimus, testatum faciunt.

Ceterum in hoc lege considerandum est vetitam esse non modo *ex una*, verum etiam *ex eadem* Provincia huiusmodi translationem Quod quidem idem esse, ac penitus prohibere, ne ab una etiam ad alteram Civitatem translatio fiat ex unanimi Doctorum mente a nobis superius notatum fuit. Maluissem Doctores prædictos nedum contentos fuisse ejusmodi opinionis sed etiam cur hoc modo persuasi essent rationem attulisse, Sed tamen vix Cujacius est, qui subobscuram Lectoribus suspicionem inducit, se ex eorumdem ver-

---

(a) Laurent. variar sacr gentil form. 15 asserit Romae ante Asiam devictam statuas ligneas fuisse, quod Valerius Maximus antea scripserat Plin lib. 34. cap 7 et praesent. in adnotat Priscorum tempore, et sui temporis luxum scite Varro describit lib. I de vita populi Romani. Idem quod Plinius, et Pausanias in Corinthiacis, qui loco templi Apollinis lycii meminit. In arcadicis quoque earum imaginum materiam fuisse tradit ebenum cypressum, cedrum, quercum smilacem, lotum et Cylenis Mercurii fuisse e citro.

borum tenore, atque distinctione ita fuisse arbitratum (a). Veruntamen quidquid de prædictis verbis sentiendum sit, certum est etiam de una ad alteram Civitatem signorum, et columnarum transportationem vetari. Vetuit enim hoc Constantinus in *Leg. I. Cod. Theodos. de operib. publicis* totidem pene verbis jubendo ne propria ornamenta, atque marmora unius Civitatis ad urbis alterius mœnia transferrentur, et Imperatores Valentinianus et Valens in *Leg. 14 titulo eodem*, in qua pariter judicibus indixerat, ne signa, marmora, et columnas ornandarum aliarum Civitatum prætextu a propriis sedibus amoverent. Unde recte colligit Gothofredus tamquam ex generali regula unam Civitatem et si Metropolim, et splendidoris ornatus, minime alterius et si maximæ, abjectæ, et obscuræ nuditate redimendam esse (b). Quam quidem rationem iis quoque in similibus exemplis procedere debere aequum est, ut neque equos curules, aurigas, histriones, aut quælibet alia spectacula

(a) Cujacius ad dict. tit. et ad Leg. 41. ff. de legat. 1. Leg. 2 Cod. de ædific. priv. Et rursus quædam transferri probat, non tantum intra eamdem urbem, sed etiam ex Urbe in aliam Urbem maxime labentiam parietum ut ait Lex 6. hoc tit. Ornatus transferri possunt de domo nostra in aliam domum aeque nostram, non in domum alienam vel ex rure et villa nostra in rus villamque nostram quod aperte proponitur in d. leg. 6 — et ad leg. 41. Ex rure ad rus transferre licet ex urbe ad rus non licet. Quid ergo si dum ornatus quidam ex rure transferantur in rus transeat per urbem aliquam, utrum dicemus ex urbe illa, illos ornatus, an ex rure transferri quod multum refert. Nam ex Urbe non licet ex rure licet.

(b) Gothofred. in Comment. ad dictam leg. I. Cod. de operib. publicis.

ex uno in oppidum aliud transferri permissum umquam fuerit (*a*).

Non inficior objici mihi posse rationem eam, quam sumpsi ex praecitatis Legibus in *Codice Theodosiano* publicas potius Iconas, ac monumenta spectare veluti indicat ipsius tituli rubrica, quae legitur *de operibus publicis*. Lex autem septima quae universam Orationem sustinet, ea praesertim revera afficit, quae sunt privati domini, ut apertissime constat ex eadem tituli indictione DE AEDIFICIIS PRIVATIS. Verumtamen ultra quamquod non adeo obscura sunt legis verba, et unanimus etiam in hac sententia interpretum haud equidem causam probabilem reperio cur de una ad aliam statuarum, aliorumque monumentorum, speciem argumenta capere fas non sit. Video enim in uno, alterove titulo eumdem esse scopum, eamdem Imperatorum mentem, consulendi nempe urbium ornatui, ob iisque publicam deformitatem avertendi (*b*). In quo quidem cum convenire possent ne-

(*a*) Leg. 5. Cod. Justinian. de Spectaculis lib. X. tit. 40 Nemo Judicum ex quacumque civitate in aliud oppidum vel ex provinciae solo equos curules, aurigas, bestias, histriones cives tentent traducere, eadem popularibus plausibus intemperanter serviunt: et publicae rerum statum fatigent, et festivitatem impediant in conctis oppidis celebrandam: ita ut si quis hanc violaverit jussionem poena teneatur ea, quae legum violatores persequitur.

(*b*) Legg. 2. 6. Cod. de aedificiis privatis Negotiandi causa aedificia demoliri et marmora detrahere edicto divi Vespasiani, et senatus consulto vetitum est. Ceterum de aliis domo in aliam transferre quaedam licere, exceptum est, sed nec dominis ITA transferre licet, ut integris aedificiis depositis, publicus deformetur aspectus. Leg. 6. Si quis post hanc legem, civitate spoliata, ornatum, hoc est, marmora, vel columnas ad rura transtulerit, privetur ea possessione, quam ita ornaverit.

dum publica opera, et monumenta quam multa ac pretiosissima ea, quæ a privatis Civibus possidebantur, tanto magis credendum est, privatis quoque marmorum, aliorumque monumentorum translationem Imperatores prohibere voluerunt. Nisi quod cum aliquantisper humanius in hac posteriori hypothesi quam in priori procedendum esse aequitatis ratio suadeant, non inviderunt iidem, si possessores privati prædictorum monumentorum ea de propriis domibus in proprias alterius urbis transferre vellent (*a*). Adeo tamen conditio, et circumstantia attendende est utrarumque aedium eumdem ut habeant dominum, ac de propriis in proprias domus tantummodo statuae, atque columnae transferantur, ut quam vis ab appadie potiusquam a privatis eas possideri aequum esse putandum sit, tamen si eadem Civitati alicui legentur, quæ in territorio legantis sit, legatam quidem valebit, at si Civitati alterius territorii legentur, in qua etiam fortasse ipse legans domum haberet, manifestissime id vetitum fuit (*b*).

Attamen de domo ejusdem Civitatis statuas, colum-

(*a*) Cujacius in Cod. de aedific. privat. edit. Neapolit. Tom 9 pag 1175 sub tit. B. Et tamen hæc lex. 2. simul ac dicta L. cetera § item quæri ex eodem Senatus consulto probat ex alia domo in aliam domum quædam transferre posse. At bene quædam veluti ornatus aedis domus, hoc est, marmora, statuas, columnas, non etiam domum ipsam demoliri aut partem domus totius, materiæ aut partis in aliam domum transferendæ causa.

(*b*) Leg. 41 cetera § sed videamus ff. de legat. I. Sed videamus utrum ei soli civitati legari possit, in cujus territorio mt: en et de alia civitate in alia transferre possit? et puto non esse permittendum, quanquam constitutum sit, ut de domo quam aliquis habet et permittatur in domum alterius civitatis transferre

nasque transferre ad publicum opus haud quidem vetitum est (*a*), nec easdem in alteram etiam privatam domum immittere prohibitum invenitur, si modo utriusque unus tantum Possessor sit (*b*), vel futurus saltem possessor (*c*). Licebit etiam easdem monumenta de rure, ut villa nostra in alteram aeque nostram asportare, cum vel in uno, vel in altero jaceant campestri loco, parum id publicum decus interesse debere videtur. At si a domo nostra quae in Civitate posita sit, velimus eadem in villam nostram transferre, quoniam utroque loco eadem ornatus, et decoris ratio admitti non potest, ne dum id facere ve-

---

(*a*) Leg. ult. ff de damno infecto. si quis ad demoliendum negotiandi causa vendidisse domum, partemve domus fuerit convictus, ut emptor et venditor singuli pretium, quo domus distracta est, praestent constitum est. AD OPUS AUTEM PUBLICUM SI TRANSFERAT MARMORA, VEL COLUMNAS LICITO JURE FACIAT. Cujacius ad Leg. 41. ff de legat. I. Tom. 7. edit. Neapol. pag. 128 litt. D. sunt tantum duo casus, quibus ea detrahi possunt sed non promercii causa. Itaque proprie exceptiones non sunt. Primus si quis detrahat quod transferat in alias aedes suas, sive sint in eadem civitate, sive in alia.

(*b*) Leg. 2 Cod. de aedific. privatis. Ceterum DE ALIA DOMO IN ALIAM transferre quaedam licere, exceptum est: ibique Cujacius plura notavit loco superius citato infra post observationem — Item procedit si utriusque aedium in solidum domini, et possessores futuri sumus.

(*c*) Leg. cetera 41. § item quaeri ff de legat. 1. Movet quaestionem quod ex constitutionibus, et senatusconsultis licet ornata ab aedibus nostris in alias aedes transferre, possessoribus earum futuris, id est non distractoris, et ita Imperator noster, et divus Severus rescripserunt. Reguellius loco jam supra notato ad d. titulum Cod. de interdictis et leg. 6. Cod. de aedific. privat. Cujacius ubi supra. Dionys. Gothofred. ad Cod. hoc. tit. leg. 6. not. g. — et. 1.

tiutum erit (a), sed imo ejusdem villæ, in quam marmora illata sunt, dominio privabimur (b).

Quid igitur si de uno in alium agrum adsportari signa, columnæque velint, quod quidem licitum est, dummodo utriusque possessionis dominium habeamus. At si dum eæ transferantur, transire debeant Civitatem, licebit; cum a Civitatibus easdem, ut vidimus, efferre vetitum sit? Jam vero occurrit dubitationi quod Imperator in sæpedicta lege sexta easque vel prope Civitatis mœnia, vel etiam per medium ejusdem transferri posse permisit (c) dummodo tamen caveatur iisdem alia materia, quæ in illius Civitatis aedificiis subtracta sit (d). Quam quidem Imperatoris cauthelam ne dum marmorum, et columnarum transitum afficere, sed spectare etiam ad merces quascumque, quæ in Civitatem aliunde delatæ sint, ele-

(a) Dionys. Gathofred. ubi supra ad leg 6. Cod. hoc tit. litt g. Ex civitate in aliam civitatem columnas aedificii transferre licet *vero si quis autem* rus eas transferre non licet *ut hic* — et ita potest accipi hæc constitutio quam nonnulli de rebus intelligunt sublatis promerendi causa.

(b) Leg. 6. Cod. de aedific. privat. si quis post hanc legem Civitate spoliata ornatum, hoc est marmora, vel columnas ad rura transtulerit. PRIVETUR EA POSSESSIONE quam ita ornaverit.

(c) Dict. Leg. Cod. eod. Data similiter facultate etiam de possessione ornatum hujusmodi ad possessionem aliam transferendi, quamvis per muros, vel etiam per mediam civitatem ea transferri necesse sit, ita ut in utrummodo, quæ illata fuerint civitatibus exportentur.

(d) Perezius in Cod. hoc tit. hoc tit. § 7. in fine. Dummodo non admisceatur alia materia ex illius civitatis aedificiis sumpta. Cujacius ad dictum titulum cavendum tamen esse ait sed obscure — ne in transitu urbis iis quæ vehuntur ea rure sumpta ex urbe, qua transitur ornamenta quædam aedium ad misceantur in fraudem legis.

ganter in illam legem Glossatores advertant. Quamvis enim ab urbe aliqua, vel ob Curiæ edictum, vel quamlibet aliam ob causam merces auferre non liceat, si tamen merces ejusdem generis per eamdem urbem pertransierint, minime vetari poterit quin inde extrahantur, quod Baldus sæpe etiam in facto sibi accidisse testatur.

Ceterum si casus prædicti excludantur, in quibus vel transferre, vel amovere, vel etiam detrahere, et demolire statuas, atque columnas permissum est; certum est in reliquis casibus nulli umquam licere, easdem ab illo loco, in quo semel positæ sunt vel *auferre*, vel *movere*, sive *amovere*, uti scriptum in multis Codicibus invenitur. Jam vero auferuntur si Cujacio credendum est *quæ detrahuntur*, *ut transferantur ex alio ædificio* in aliud: Moventur autem Columnæ, et statuæ, quæ eruuntur ex officiis (a). Melius ut puto differentia utriusque vocum desumi poterit si attendatur, minus quidem esse *auferre*, magis autem contineri in voce *amovere*, ita ut auferre, inquit Calvinus (b) est quid *amovere sed* sine vi. Accedit putare aliquos Grammaticos, *auferre* ad eos pertinere, qui antea dederunt. Frontonius sub ista voce (c) AUFERT QUI DEDIT *adimit imperio coactus*, *eripit qui plus valet*. *Itaque auferre possumus*, *adimere jubemur*, *eripere valemus*. Quæ quidem significatio apprime

---

(a) Cujacius ubi supra

(b) Calvinus Lexicon juridic. verbo, AUFERRE. Auferre est quid amovere sed sine vi. Auferre ac id sine vi fieri posse scribit Ulpianus in Lege qua usufragium non miuus ff de incend. ruin. naufrag

(c) Frontonius apud Grammaticæ latinæ auctores antiquos sub voce AUFERRE.

convenire potest menti Imperatoris, qui voluerit etiam illos, qui monumentum dederunt, et posuerunt, idem deinde auferre prohiberi. AMOVERE autem spectare poterit ad ceteros omnes, cum eadem vel marmorum amotioni proprie conveniat veluti ex Donato refert Calvinus (a) — *Amovere, inquit Donatus, est proprie saxum de loco movere* -

Atque hæc quidem constituta sunt a Juliano, aliisque permultis Imperatoribus, ut elegantiora monumenta, quæ jam frequentissima Romæ erant, conservarentur, dum interim haud spes deficiebat, alia nova iisdem nisi penitus similia, non admodum tamen inferiora creari posse. At statuarum, aliarumque hujus generis rerum construendarum peritia jam a tertio sæculo, et proinde ab eodem Juliani aevo pedetentim ad senium vergere, quamvis nonnisi regnante Theodosio procumbere prorsus, ac prolabi visa sit. Cum enim Imperator ille Columnam erexisset Theodosii Avi sui victoriis onustam, hoc ultimum opificium fuit, quod quasi elegantis antiquitatis meta dici meruerit. Etenim non penitus in eodem imperfecta licet vestigia melioris artis sculpturæ deprehendere negatum sit (*b*).

Quod si statuarum, aliarumque sculpturarum origo, et fons penitus post illud aevum exaruit, majori

---

(a) Calvinus in d. Lexic. juridc. verbo AMOVERE. Amovere aliud est quam rapere ceterum amovere, contrectare, subtrahere, subripere est — — Et tamen lenius ac mitius est amovendi, quam furandi verbum Itaque Jurecconsulti, quibus in personis furti infamiam notare noluerunt, in iis, hoc verbum usurparunt, ut ex ff. rerum amotarum. Amovere, inquit Donatus proprie est saxum de loco movere. — — denique non est AUFERRE

(*b*) Montfaucon l'antiquité expliq.

mae diligentia opus fuit, ut cum nihil amplius novi in hoc genere sperari posset, vetera saltem monumenta, quam cautissime conservarentur. Et quamvis infelix Urbs lacerata penitus fuerit tam intestinis, tum externis perturbationibus, quamvis Gothorum dominio haud parvo temporis spatio cervicem subjicere coacta fuerit, non ideo tamen adeo duros asperosque Dominos nacta est, qui Cassiodori praesertim doctissimi, et beneficentissimi viri persuasionibus deliniti, non reveriti fuerint, ac cognoverint Urbem Romam, veluti quandam a natura ipsa constitutam Depositariam publicorum, omnium monumentorum, quae generales divitiae, et totius orbis labor praestare potuerunt (a). Hinc Theodoricus, qui primus Gothorum Rex in Urbe regnavit, ne dum publicis illius monumentis nullam intulit injuriam, sed quod in homine barbaro, et litterarum experti vix credi potest, earumdem conservationi omni majori cura et diligentia incumbere visus est. Aberat autem in dementiam ante ejus imperium ob temporum acerbitatem munus illud *Comitis Romani*, de quo supra loquuti

(a) Belisarius in sua epist. apud Procop. de bello Gothico lib. 3 cap. 22 Haud enim unius viri opibus extructa fuit, nec brevi temporis beneficio tam ampla, splendidaque evasit, sed multi imperatores, et praestantissimorum virorum plurimae catervae et longa dies, et immensae divitiae, hanc ex universo terrarum orbe cum alia qualibet tum architectos, atque opifices coegerunt, ita urbe, qualem vides paullatim aedificata, virtutis omnium monumenta posteris reliquerunt. Cassiodorus Lib. 7. variar. formula 13 Nam quidem populus copiosissimus statuarum, greges etiam, abundantissimi equorum, tali sunt cautela servandi, quali et cum videntur affixi ubi, si esset humanis rebus ulla consideratio Romanam pulchritudinem non vigiliae sed sola deberet reverentia custodire, — quia illi sunt exposita, quae potuerunt facere divitiae generalis, et labor mundi.

fuimus. Qua de re cum facile potuissent publica monumenta aut vastari aut penitus eripi, voluit illico ut munus idem sub nomine *Comitivæ Romanæ* reviviscerct, ac ut Milites, qui noctu monumenta custodirent, eligerentur (*a*). Quod autem spectat horas diurnas prævidit homo sagacissimus quod civitas se se ipsa custodisset (*b*). Reque vera quamvis Romani multis calamitatibus afflicti essent, non ideo tamen in ipsis ardor exaruerat, quo supra omnes Urbis studiosi res patrias conservare, et retinere satagebant, majorique aestu quam quod exprimi posset in id incumbebant, ne quid antiqui decoris in eadem Urbe deperiret (*c*).

(*a*) Cassiodor. ubi supra — Quare interea ista per indictionem illam rursus comitivæ Romanæ cum privilegiis, et justis commodis suis tibi concedimus dignitatem, ut fideli studio, magnoque nisu quæras manus improbas — quas juste tales persequitur publicus dolor, qui decorum veterum fœdari detruncatione membrorum, faciuntque illa in monumentis publicis quæ debent pati

(*b*) Cassiodorus variar. Lib. 7. form. 13. Officium tuum et militum connectes noctibus potius invigilare compelle, in die autem civitas se ipsa custodit. Vigilans enim studio non indiget. Furta persuadent sed tunc præsumptus facile capitur cum custos minime supervenire sentitur. Et apud Procop. de bello Goth. ubi supra.

(*c*) Procopius de bello Gothic. lib. 4. Cap. 22. Cum Romanos alios tum Senatores nonnullos Romam revocat relictis ceteris in Campania, atque orbem pro virili parte curare jubet, præseferens prætextum violatæ Romæ cum ejus partem non exiguam, præsertim trans flovium Tyberim flamma delevisset. Illi mancipiorum loco, ritaque habiti, et fortunis exuti omnibus, nullam rei nec publicæ, nec privatæ partem recuperare poterant tametsi supra omnes, quos equidem novimus urbis studiosi sunt Romani res omnes patrias retinere, et conservare satagunt, ne quid antiqui decoris Romæ deperent. Et quamvis diu dominationem barbaricam passi

Imitatus etiam in reliquis Romanorum Imperatorum exempla, ac liberalitatem, ita ut et multam pecuniam in monumentorum restaurationem de publico aerario impenderit (a), et publicum etiam constituerit architectum, qui incumbere deberet restaurationi praesertim statuarum et columnarum (b). Quod si ita in conservandis, reparandisque Urbis monumentis incumbebat, non mirum inde videri debet, si justa ira exardebat, dum aliquando illa a privatis vel male affici, vel subripi audiebat. Qua de re extant binae ejus litterae scriptae cum certior factus est de Comensi Civitate aeneam statuam subreptam fuisse, in iisque nedum centum aureos illi promittit, qui subreptorem prodidisset (c) sed

---

sint, orbis tamen aedificia servarunt, et quamplurima ornamenta quoad eos fieri potuit, quibus eam firmitatem industria artificum dedit, ut nec tanta aevi longinquitate, nec crebra internitione detrita fuerint. Imo vero stant adhuc, religiosa posteris monumenta, quibus gentis origo proditur.

(a) Cassiodor. lib. 1. Epist. 25. Sabiniano viro Senatori Theodoricus simul etiam portubus junctis, qui ad illa loca antiquitus pertinebant, et omne diversorum usurpationes aggerentur invalidi: cuncta ergo redditibus deputatis ad statutum praestationem facies sine dilatione revocare.

(b) Idem variarum lib. 7. form. 15 Romanae fabricae decus convenit, peritum habere custodem, ut illa mirabilis sylva moenium diligentia subveniente servetur, et moderna facies operis affabris dispositionibus construatur — Proinde illum illustris magnitudo tua Romanis arcibus ab illa indictione Architectum datum esse cognoscat.

(c) Idem lib. 2. Ep. 35 Artemidoro Praefecto Urbis Deberemus itaque relatores deputatae pecuniae immodica poena percellere, qui in tali causa nostram munificentiam fraudaverunt. Sed affluit moderatrix, quae semper nobis est justa clementia ne indecore facta plectamus graviter iocitante justitia. Sufficiat nobis cupiditatem non implesse quod voluit. Spondeas etiam centum aureos si quis haec sacrilega furta prodere maluerit.

etiam minitatus si dissimulandum forte crediderit simul ac indicio aliquo detegeretur pœna eum capitis affecturum (*a*). Mitto quæ de antiquis aedibus conservandis (*b*), quæ de dirutis reparandis (*c*), quæ de jacentibus saxis applicandis ad constructionem, et ornamentum novorum aedificiorum (*d*), quæ de-

---

(*a*) Idem lib 2 epist. 35. Quapropter præsentis edicti unusquisque auctoritate cognoscat centum se aureos largitate nostra promereri, si prodat qui statuam de Comensi civitate rapuerit, et de suo facto indulgentiam se noverit habiturum. — — Si quis autem dissimulandum forte crediderit, cumque aliquo veritatis indicio Serenitas nostra detexerit, ultimo se noverit discrimine rapiendum.

(*b*) Idem lib. 1. epist. 25. Atque ideo major in conservandis rebus, quam in inveniendis adhibenda cautela est — — — Ut antiqui principes nobis merito debeant suas laudes, quorum fabricis dedimus longissimam juventutem, ut pristina novitate reluceant quæ jam fuerant veternosa senectute fuscata.

(*c*) Idem lib. 3. Epist. 29. Argolico viro illustri Præfecto Urbis

Atque idea horrea vetustate destructa, si nunc usui publico minime necessaria esse monstrantur — præfato viro absoluta liberalitate concedimus: ut assumpta licentia ædificandi ad posteros transmittenda, suis utilitatibus profutura disponat: quia confert magnum Reipublicæ munus, quisquis diruta maluerit suscipere reparanda, in ea præsertim Urbe ubi cuncta dignum est constructa relucere, ne inter tot decora mœnium deformis appareat ruina saxorum.

(*d*) Idem lib. 1. epist 28. Universis Gothis, et Romanis Ideoque præsenti jussione profutura sancimus ut si quis cujuslibet generis saxa in agris suis jacentia possident, illa libens animo sine aliqua dilatione concedat. Et lib 2 epist 7. Sine usu jacere non decet, quod potest ad decorem crescere Civitatis — — et ideo Magnificentia tua marmorum quadratos qui passim negliguntur diruti, in fabricam murorum facias deputari, ut redeat in decorem publicum prisca constructio

nique de reaptandis Urbis Cloacis sapientissime constituit (a).

Quod si talis fuit ardor Theodorici in publicis monumentis conservandis, reparandisque, mirandum non est, si et nullam injuriam vetera omnia passa fuerint, et si quædam raro antea in usum adhibita inventa fuerit statuæ forma, qua componeretur ejusdem Theodorici effigies ex variis lapillis, iisque diversi coloris invicem compactis (b). Cujus tamen rei non fuisse istud primum, et unicum exemplum Epigramma quodam Anthologiæ testatur (c), ubi satyrus ex variis lapillis se se in eam figuram statim coagmentatum esse asserit, et memoriæ etiam mandatum est, alteram statuam factam fuisse ex illis lapidibus, quos pro Saburra Diomedes in navibus e muris Trojanis imposuerat (d).

Ceterum non minori ardore erga statuas, et alias antiquitatis se se præditos ostenderunt Amala-

(a) Idem Lib. 3. epist. 30 Argolico viro illustri Præfecto Urbis.

Perinde illustris tua magnificentia spectabilem rerum Jaunem direxisse cognoscat propter splendidas Romanæ civitatis Cloacas, quæ tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum civitatum possint miracula superare.

(b) Procopius de bello Goth. lib. 1. cap. 7 Fuit Romanis (juxta quæ tradit auctor iste) lapsus statuæ Theodorici omen victoriæ: (unde inquit) Statua Theodorici Gothorum regis, quæ in foro visebatur ex lapillis compacta, minutis admodum, et versicoloribus fere singulis. Hujus caput olim vivente Theodorico defluxit turbatis sponte sedibus lapillorum, ac brevi Theodorici consecutus est obitus. Ab illac tempore 8. annorum dilapsis calculis, qui imaginis ventrem cingebant inter homines esse desiit filia Amalasuntha. Ac deinceps prosequitur Procopius ea omnia accidisse, quæ tamen a Romanis acceptam consequeretur.

(c) Antholog. Græc. lib. 4. Epigr.

(d) Polyb. pag. 191. Historiar lib. 4.

suentha, et Theodahadus, qui Theodorico successerunt. Argumento est nullibi ipsos eosdem laesisse, sed etiam marmora quaedam in Graecia emisse, ad Romanorum monumentorum ornatum, et restaurationem, et intensissime inde scripsisse Imperatori Justiniano, ut Romam eadem transferri permitteret (a). Nec diversum fatum Urbs passa fuit sub reliquis horum usque ad Thotilam successoribus. Meditabatur porro ille Princeps Urbem universam incendere, ac solo adaequare. Attamen a proposito dissuasus fuit a Belisario Graecorum Duce, ejusque competitore, qui multa ipsi minitatus est, si forte a Graeco exercitu vinceretur; multa de Urbis splendore, stantibus ejus monumentis significavit si forte illius Dominus evasisset.

Atque ita et a barbaria, et a Graecis, et a Romanis Civibus depositum monumentorum, quod in Urbe erat religiosissime colebatur. Et quamvis procedente aevo majoribus, iisque gravioribus ipsa Urbs ruinis, calamitatibus, hostiumque invasionibus afflicta fuerit; nulla tamen contra eamdem gens extitit, quae quantum temporum, et bellorum acerbitates ferebant non illius pepercerit monumentis. Quamvis enim argumentandi ratio tunc temporis nec frequens esset, nec plurium ejusdem Urbis Invasorum moribus accommodata, non tamen ab eorum mente quaedam communia principia exci-

(a) Cassiodor. variar lib. 10. epist. 8. ubi respondendo sic loquit Justinianus — Ita nos ablectat — — ut marmora, val alia necessaria, quae quondam Calagenitum comparata feceramus per praesentium portitorem ad nos parvenire, Domino favente, jubeatis. Et dicta lib. epist. 9. — Quapropter harum portitorem ad illa direximus exhibenda, ut si — — beneficia tamen vestra, Deo adjuvante ad nos perveniant.

disse videntur, quod nempe idem esset Romana monumenta, ac elegantioris antiquitatis scientiam penitus destruere (a). Quod quin ullam Gens illa utilitatem reportasset, quæ pretiosiora quædam monumenta ab Urbe detraheret, per seipso ipsa sese punivisset eum mutilam sibi monumentorum scholam haberet, quæ tantum utilis esse potest ex antiquorum rerum unione, atque complexione (b). Quod si harum aliquæ transferrentur, quo non aliæ sunt vel proximioris, vel intermediæ structuræ, unde priorum illarum elegantia, et pulchritudo tamquam ex parallelo, et contrapositione quadam elucesent, et conclarescat, idem esset quam si histrio aliquis, aut celeberrimus musicus solus inter vilissimos mimos, ac nullius pretii Cantores exaudiretur, vel musicalis instrumenti clarissimus modulator inter ignaros, ac dissonos reliquæ totius orchestræ modulatores musicalis consonantiæ specimen se se præbiturum profiteretur. Quod denique si Romam excipies nulla in toto Orbe Civitas est, quæ hujusmodi monumentis par hospitium præbere possit, nec aeque quietam, pacificamque mansionem monumentorum eorumdem Contemplatoribus (c).

(a) Lettres sur le projet d'enlever les monuments de l'Italie à Paris année IV, lettre troisieme pag. 20.

(b) Opere ubi supra

Lettre quinquieme pag 46.

(c) Opere quo supra ibidem Lettre quatrieme pag 40. Excepte Rome il n'est point de ville dans l'Europe, qui puisse presenter à ces chefs d'oeuvre un hospice digne d'eux, ni un Temple propre au recueillement, qui exige leur etude. Ce n'est ni au milieu des brouillards, et des fumées de Londres, des pluies, et des boues de Paris, des glaces, et des neiges de Peterbourg, ce n'est ni au milieu du tumulte des grandes villes de l'Europe, ni au milieu de ce chaos des di-

Quæ quidem omnia conducere potuerunt non ut nullam labem monumenta Urbis paterentur, sed ut immunia saltem evaderent ab ea majori jactura, quam temporum acerbitates minitabantur. Ceterum negari non potest quin progredientibus bellis, sævientibus Tyberis inundationibus, peste sæpe sæpius in Urbe grassante, aliisque gravissimis de causis, quæ coaluerunt præsertim e seculo septimo, vel multam revera labem monumenta publica passa fuerint, vel nulla saltem sit causa cur suspicio oriri non debeat magnum eadem, ac irreparabile detrimentum passa fuisse (a). Accedit Pontificum absentia per septoaginta annos, ex qua (vacua enim pene facta Urbs est, ut ex Petrarcæ epistolis intelligitur) plus forte devastationis, quam e barbarorum præsentia, atque incursionibus Romam pertulisse recens quidam scriptor arbitra-

---

stractions d'un peuple necessairement occupé de soins mercantiles, qui pusse se developer cette profonde sensibilité pour les belles choses: ce sixieme sens que la contemplation et l'etude du beau donnent aux eléves des arts. Quelque chose que l'on fasse, il faut toujours que ceux, qui s'y livrent, aillent respirer ailleurs un air degagé de toutes ces vapeurs qui obscurcissent à nos yeux les images du beau, et de vrai Rome est devenue pour nous ce que la Grece etait jadis à Rome.

(a) Fea in sua dissertazione sulle rovine di Roma post Winkelman tom. 3. pag. 308 S. Gregorio nel libro secondo de'suoi Dialoghi al capo XV, ci dice in compendio le cagioni delle rovine di Roma non tanto dalle barbare nazioni, quanto da tempeste, turbini, terremoti, e dal lungo corso degli anni — — — — Quell'impegno che innanzi aveva dimostrato il popolo per gli ornamenti della patria, e per le belle arti dovea essere stato divertito ad altri bisogni più urgenti dalle tante passate calamità, e dalle nuove che andavano crescendo. Verosimilmente le fabbriche rovinate nel fiume, e la negligenza nell'averne cura, le strabocchevoli inondazioni si renderano più frequenti.

tur. Postquam vero artes præsertim in Italia resurrexerant, nihil magis Romanæ Urbi vetustum fuit, quam monumentorum jacturas, et vulnera illis illata reparare. Et quamvis etiam Statuæ, atque columnæ non prorsus immunes ab omni detrimento evasissent, earum tamen soliditas efficere potuit, ut longe minus quam cætera omnia monumenta in communi antiquitatis naufragio damno passæ forent. Ac revera immensas in Urbe etiam in primis illis restitutæ elegantioris antiquitatis temporibus statuas fuisse testatur laudatus Petrarca (a). A quo etiam scimus ita columnis eam abundasse, ut ex iis quæstum, et mercimonium ad Neapolim adornandam non pauci Romani turpissime derivarent (b).

Ex quo factum est cum una Urbs plurima, dignissimaque antiquitatis monumenta possideret, et privatus quisque statuis, atque columnis domus, villasque refertas haberet, gentes universæ eodem ardore flagrantes Urbem ipsam petere debuerint ad ea monumenta acquirenda, ut domos et templa non modo, sed Civitates ipsas ornarent: atque ita di-

(a) Petrarca de remed. utriusque fortun. lib. 1. Dialog. 41 quam ob causam picturæ veterum nulla usquam, cum adhuc innumerabiles supersint statuæ.

(b) Idem in epist. hortator. ad Nicolaum Laureatum. Denique post, vi, vel senio collapsa palatia quæ quondam ingentes tenuerunt viri, post diruptos arcus triumphales, unde majores horum forsitan corruerunt. De ipsius vetustatis, ac propria impietatis fragminibus vilem quæstum, turpi mercimonio capture non puduit. Itaque nunc heu dolor, heu scelus, indignum! de vestris marmoreis columnis de liminibus templorum, ad quæ nuper ex toto Orbe concursus devotissimus fiebat, de imaginibus sepulcrorum, sub quibus patrum vestrorum venerabilis cinis erat, ut reliquas sileam, desidiosa Neapolis adornatur.

vitias, et mundi laborem, ut scriptum est in Procopio per Theodoricum in diversas Nationes mittebant Romani, ne quidquam reperiretur in Orbe quod Romanorum proprium non esset; quod certe quidem reprehensione esset indignum ubi nonnullorum venditiones eo non perducerentur, ut ex ipsis Romani turpe mercimonium inde traherent. Verumtamen negari nequit quod et si ab aliquibus etiam sub hasta ponerentur Statuæ, atque columnæ ut majus ex illis pretium obtinerent, omnes in genere Cives Romanos, et magistratus præsertim ad id incubuisse ut monumenta, vel quæ fuissent acquisita, vel restaurata, vel denique inventa ad ornatum et decus Urbis perpetuo manerent. Qua in re merita digni sunt laude qui et si nullis tenerentur legibus attamen proprias domos, et villas statuis, et columnis ornarint potius quam lucrifaciendi causa illas, et istas vendiderint, cum patriæ honor, et Urbis decus privatæ utilitati prætulerint.

Urbs vero ex eo ipso statuarum, et columnarum mercimonio tale decus consequebatur, ut et ipsi qui monumenta acquirebant eam scientiarum et artium matrem, veterumque monumentorum Depositariam appellarent: imo tantum potuit quæstus hujusmodi in Animis Pontificum, ut quod antea temporis neglectum fuerat vel a Barbaris qui rariora monumenta detruncaverant, vel a Romanis civibus, qui monumenta ipsa vendiderant, vel ex ipsorum circumstantiis, sive necessitatis sive avaritiæ id omne perpensum fuerit a nonnullorum Pontificum Sagacitate ad eas constituendas leges, vel ad veteres renovandas ne cujuscuis generis monumentum deinceps ullimode posset in Commercio esse, utque potius ad Romanam magnitudinem tacito demonstrandam in Urbe perpetuo

manerent: atque hujusmodi ardor ex gloria quam sibi externæ gentes comparabant, in Civium quoque Romanorum animis est accensus adeo ne quisque amplius valuerit ex quacumque causa, et quovis pacto quidquid antiquitatis ex Urbe extrahere; quia noverunt omnes eorum magnitudinem, et gloriam ex ea causa extenuari, quam periculis, et sanguine compararunt, et aliarum Civitatum gloriam ipsam augeri absque quod ipsæ aliam gloriam haberent, quam tantisper auri persolvere, ut decus, et magnitudinem Romanorum sibi adducerent.

Ceterum communi Urbis ardori in monumentis restituendis, reparandisque, respondere etiam visa fuit nonnullorum Romanorum Pontificum vigilantia, quos peculiarem curam hac de re ante ætatem suam suscepisse testatur S. M. Pontifex Pius II. in sua Constitutione, quam edidit expresse de ea anno 1462. (a). Ac cum multa observatione digna in eadem ille Romanus Pontifex statuisset, tum maxime in hoc incubuit, ut quicumque monumentum quodlibet in propriis etiam Urbanis, vel rusticis prædiis existens *demoliri*, *destruere seu comminuere*, *aut rumpere*, *seu in calcem convertere* ausus fuisset, nedum pecuniariis

(a) In Fenzonio post statutam Urbis pag. 622. — Ex præmissis igitur, et aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus — quorundam Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum expresse vestigiis inhærentes — inhibemus ne quis directe, vel indirecte, publice, vel occulte aliquod ædificium, seu ædificii antiqui reliquias etiam si in eorum prædiis rusticis, vel urbanis fuerit demoliri, destruere, seu comminuere, aut rumpere, seu in calcem convertere quoquo modo præsumat. — — Volumus autem quod nullus præter Romanum Pontificem, alicui in præmissis licentiam dare valeat

pœnis, sed etiam excommunicationis ictu plectendus esset, cautissime interim adjiciens, ut *nullus præter Romanum Pontificem alicui in præmissis licentiam dare valeret*. Quibus quidem Pontificis curis respondit paullo post alter Pontifex Sixtus IV; qui anno 1474. alteram edidit Constitutionem contra eos (a), qui ab Ecclesiis earum ornamenta, atque lapides diripere præsumpsissent.

Veruntamen fatendum est, adeo quorumdam avaritiam increbuisse, ut nihil tracta temporis valuerint eædem Constitutiones ad ipsorum impios conatus cohibendos. Scimus enim sequenti sæculo multos in Urbe fuisse, qui affirmarent *magnos se calcis cumulos ex solis Epigrammatum fragmentis vidisse congestos*; nec defuisse, qui gloriarentur *totius suæ, et latæ quidem* domus fundamenta ex solis statuarum membris jacta fuisse (b), scribensque Raphael Urbinas Pontifici Leoni X. non verebatur affirmare sibi in mente esse *totam novam Romam*

(a) Extat post Statutum Urbis a Fenzonio adnotationibus illustratum pag. 693. Sane fide dignorum relatibus non sine admiratione ad nostrum pervenit auditum quod nonnulli — in Ecclesiis porphyreticos, marmoreos, et alios diversorum generum, et colorum lapides ad ipsarum ornatum, decorem, et ornatum deputatos ausu sacrilego abstulerunt hactenus, et in dies auferre, eosque ad diversa loca per se, vel alios exportare præsumunt. Nos — — Et insuper quisque — medium librum cari pro recompensa arrogatæ injuriæ, absque diminutione aliqua solvere teneatur.

(b) Gori in Etruriæ Urb. monument. part 3 Pag. 4 Epist. F. Jo. Jucundi Veronens. ad Leonem X. Aliqua vero non sine Magno dolore animi tempestate hac nostra destrui videmus: sunt qui affirment magnos se calcis cumulos ex solis epigrammatum fragmentis vidisse congestos. Nec desunt, qui glorientur totius suæ et latæ quidem domus fundamenta ex solis statuarum membris jacta esse.

conditam esse ex calce congesta ex veteribus monumentis (a). Cui quidem malo non potuit beneficentissimus ille, et merentissimus Princeps non aliqua in parte mederi, eumdem Raphaelem Urbinatem Præfectum constituens marmorum, et lapidum omnium, quæ Romæ, et extra Romam decem millium passuum spatio posthac eruerentur, prohibens etiam ne sine ejusdem permissu quid uspiam marmoris, et saxi, ubi literæ essent, aut signa insculpta secari posset (b). Quas quidem munificentissimi Principis jussus paullo post Successor ejus Paulus III rennovare maluit. Qua de re *latinum* Juvenalem Manectum Romanum civem omnium cujuscumque generis antiquitatum quæ in Urbe erant, *Commissarium* deputavit, illi intentissime mandando tum ne eadem a *vepribus*, *virgultis*, aliisque *incommodis arboribus consumerentur*; tum maxime ne DIRIMERENTUR, COMMINUERENTUR, CONFRINGERENTUR, IN CALCEM COQUERENTUR, AUT EXTRA URBEM ADSPORTARENTUR. Eos autem qui contra fecissent, ne dum voluit pecuniariis gravissimis pœnis mulctari, sed etiam excommunicationis comminatione perterrere fecit (c).

(a) Hujusmodi epistola reperitur inter epistola Castilionis illustrat. a Petro Antonio Serassi.

(b) Apud Bembi Opera Tom 4 lib. 9. e. 13. Raphaeli Urbinati — Nos — hujus operis magistrum te facimus cum stipendio etc. — — — Te vero hortor, ut hujus muneris curam ita suscipias ut in eo exercendo cum existimationis tuæ ac nominis, quorum quidem tu juvenili ætate bona fundamenta jacere te oportet, tum spei de te nostræ paternæque in te benevolentiæ, rationem habuisse videare. Cal Aug. anno 2. Roma.

(c) Apud Marini degli Archiatri Pontificj Tom. 2. n 96. Dilecto filio Latino Juvenali Manoecto Civi Romano, Fami

Uberius incubuit eidem rei subsequens Pontifex Julius III, qui tamen confessus est, se se maxima vestigia premere Statutorum Urbis, et alterius Prædecessoris sui Eugenii III. Aegre igitur iste ferens Urbem pretiosissimis, rarissimisque suis monumentis *quantumcumque modicis*, et *exiguis* expoliari, deputavit in eorumdem perpetuum *Suprastantem*, et Conservatorem *Marium de Frigipanibus*, eidemque amplissimas concessit facultates, ut omnimodam extractionem prædictarum antiquitatum ab Urbe, ejusque districtu posset coercere. Quin imo voluit ne jus ulli esset permittendi earum transportationem nisi sibi ipsi, et aliis pro tempore Romanis Pontificibus; inhibuitque præterea Mario sub pœna indignationis; *ne aliqua an-*

---

liari, et Secretario nostro 30 Novemb. 1534 Paulus PP III Inter ceteras curas illam quoque memorandam arbitramur et etiam memoria veterum monumentorum conservetur — — Quo magis postquam sublatus est Idolatriæ cultus — — debuissent antiqua Urbis monumenta conservari — — Verum quod non sine summo dolore referimus factum est, imo fit quotidie ut — — nostra incuria, atque culpa, imo etiam dolo, atque avaritia veterum decora alia Quiritum lacerentur, conterantur, obruantur, asportentur. — — Itaque te Commissarium super hoc nostrum generalem deputantes plenissimam tibi facultatem concedimus intendendi, inçumbendi, et curandi ut OMNIA dictæ Urbis et districtus ejus Monumenta, Arcus, Templa, Trophæa, Theatra, Amphitheatra, Circi, Naumachiæ, Porticus, Columnæ, Sepulchra, Epitaphia, Eulogia (sic), Moles, aquæductus, Statuæ, Signa, Tabulæ, Lapides, marmora, et denique quidquid nomine antiquitatum, vel monumentorum comprehendi potest, quantum fieri poterit, conserventur, atque a vepribus, virgultis, arboribus, præcipue hederis, et caprificis omnino liberentur: neve his novæ domus parietes applicentur, neu ipsa diruantur, comminuantur, confringantur, in calcem coquantur, aut extra Urbem asportentur.

tiqua aedificia demolendi, AUT EXTRAHENDI, VEL EXTRA URBEM, *et illius districtum transportandi antiquitates, statuas, et fragmenta hujusmodi concedere auderet* (a). Atque huic quidem rei alter Pontifex Pius IV. qui ne *clam*, seu *aperte* quicquam veterum monumentorum ab Urbe extraheretur, at ne quid adulterinum, aut fictitium funderetur quod inde in dedecus legitimarum rerum antiquarum, atque in exterorum detrimentum sub antiqua specie venderetur, duos iisdem Præfectos, et Conservatores S. R. Ecclesiæ Cardinales constituit, voluitque ut deferrentur iisdem quæstiones omnes, quæ causa antiquitatum hujusmodi vel subortæ essent, vel in posterum suborirentur (a).

(a) Fea in sua Itala Relazione di un viaggio ad Ostia — Arm. LII To. I. Arch. Vatic. pag. 27 — Julius III P. M. Urbis. Nos — præmissis providere valentes — et in rebus agendis industria dilecti filii Marii Frìapanie civis Romani plurimum confisi, sperantes, quod ea, quæ sibi committenda duxerimus, fideliter exequatur. Motu proprio et certa scientia, deliberatione matura nostra etc. Marium in quorumcumque ejusdem Urbis — — antiquorum ædificiorum, et Antiquitatum, et Statuarum, illarumque fragmentorum cujuscumque generis, et qualitatis existentium, Suprastantem, et Conservatorem cum omnibus honoribus, et nueribus, — — — — — — — — — constituimus, atque creamus — — — Inhibentes nihilominus ipsi Mario sub indignationis nostræ pœna, ne aliqua antiqua ædificia demoliendi, aut extrahendi, vel extra Urbem, et illius districtum transportandi antiquitates, Statuas, et fragmenta hujusmodi concedere audeat.

(a) Fea ubi supra et extraxit ex Arch. Castr. S. Ang. Arm. XVIII Caps. VI N. 1 pag. 25 Pius PP. IIII — — Duorum S. R. E. Cardinalium plenam fiduciam habentes — — quoad vixerint et eorum quemlibet Antiquitatum dictæ Urbis Præfectos, et Conservatores cum potestate quoscumque cujuscumque qualitatis, dignitatis, et præeminentiæ, ac no-

Neque Romanorum Pontificum vigilantiæ non respondit Populi Romani cura, ejusdemque Populi Conservatorum. Anno enim 1580. cum ipsi sensissent multa Urbis aedificia, veteresque memorias paullatim delebi, atque deperdi Senatusconsultum fieri curarunt, quo pro conservatione, et manutentione publicorum aedificiorum, et Antiquitatum Urbis Pontificem humiliter supplicandum esse unanimi sententia convenerunt (a). Quas quidem deprecationes S. M. Gregorius XIII exaudivisse censendus est, cum in novo statuto, quod eodem anno ille Pontifex confirmavit, multa quoad publicorum monumentorum decus, et conservationem mandata sint (b).

---

bilitatis fuerint, cogendi et compellendi — — nec non circa hujusmodi Antiquitates quomodolibet leges, et mandata etiam concedendi, nec non Processus, et acta desuper opportuna summarie conficien. et causas etc. — — coram eis tantum et non alias agitari, ac per eos, vel ab eis deputan. audiri, et decidi posse volumus.

(a) Fea ubi supra et extraxit. Ex volum. actor. Sen. P. Q. Rom. in Archiv. Capitol. Die 17. Maii 1580.

In consilio secreto Capita Regionum Blasius Prior conspicuos etc. Quibus consideratibus — — sic proposuit. Magg. Sigg. Si vede chiaramente ogni giorno che per le diverse cave — si fanno li antichi edifizj cascano a terra, e le diverse memorie antiche si perdono affatto — il che abbiamo voluto narrare acciò col prudente loro consiglio proveggano all' indennità delli antichi edifizj — — Ex S. C. Uno omnium sententia decretum est, quod — adeant S. D. N. illique humiliter supplicent pro conservatione et manutentione antiquitatum Urbis.

(b) Post plurimas dispositiones hoc caput respicientes, ita scriptum est de antiquis ædificiis non diruendis lib. 3. Statutor. Urbis cap. 81. Ne ruinis Civitas deformetur et ut antiqua ædificia decorem Urbis perpetuo repraesentent; nullus cujusvis status, aut conditionis quæcumque antiqua Urbis ædificia, tam ea quæ intra, quam quæ extra Urbem sunt, etiam si intra

Nec sane in sequenti sæculo XVIII. minus fervidi fuerunt Pontifices in adeo præstanti negocio inculcando, et confovendo. Testimonium præbere potest Edictum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Valenti, quod anno 1750. promulgatum fuit. In eo enim omnia ante hæc emanata edicta dinumerantur, quæ ab anno 1624. ad annum 1733. exciderunt (a). Ac quidem multa hoc edictum præ oculis habuit tum in argumento assertorum, quos Commissario publicorum monumentorum adjici voluit tum in prohibenda, atque coercenda eorumdem monumentorum cujuscumque generis extractione; tum denique in cohibendis turpissimis fraudibus, quæ in adulterandis, vel imitandis veteribus Antiquitatum monumentis irrepserant. Quæ quidem omnia percurrere diligentius satageremus, nisi singillatim renovata, aducta, et in meliorem disposita formulam invenire eadem liceret in providentissimo

---

propria prædia, vel possessiones existant, quovis quæsito colore diruere, aut diminuere, aut dirui, vel diminui facere audeat, vel præsumat. Qui contra fecerit, pœnam quingentorum aureorum incurrat, et Senator de hoc inquirere debeat.

(a) Apud. præd. Adv. Fea opere quo supra pag. 105. Silvio del titolo di S. Calisto Prete Cardinale Valenti della S. R. C. Camerlengo. Onde inerendo agli editti 5. Ottobre 1624. 29. Gennaro 1646. 30. Agosto 1655. 5. Febraro 1686. 18 Luglio 1701. 8. Aprile 1717. 21. Ottobre 1726. 10. Settembre 1733. proibiamo etc. — — che non possa nè presumere per l'avvenire estrarre, o fare estrarre fuori di Roma etc. — sorta alcuna di statue colonne vasi, marmi, pietre, frammenti etc. Atque distinte sermone legem severissimam edicit, et pœnas contra eos, qui hoc auderent: id omne brevibus litteris enunciat; quod in tempore necessarissimum erat ut monumenta quæ supererant, conservarentur.

Motu-proprio, quem anno 1802. signavit S. Mem. Pius Pontifex Papa VII. (a)

In eo enim non ignorere se se posse fassus est Pontifex amantissimus Romanæ Urbis, nihil magis camdem distinguere a ceteris præclarioribus Civitatibus, quam amplam, et singularem suorum monumentorum colluviem, a quibus certe uberius, et magis activum commercium ejusdem favore dimanet, quam a ceteris aliis industriis, atque proventibus (b). Qua de re eorumdem monumentorum bono consulere volens, vestigiaque persequendo benemerentissimi Prædecessoris Leonis X, qui Inspectorem ipsorum constituit Raphaelem Urbinatem, alterum non minus eo laude dignum, nec minus fortasse posteris inimitabilem Inspectorem generalem iisdem constabilivit Antonium Canova (c). Eidem autem cum

---

(a) Chirografo della Santa Mem. Papa Pio VII. in data 1. Ottobre 1802 sulle antichità, e belle arti in Roma e nello stato Ecclesiastico Roma 1802. presso Lazzarini.

(b) In chirographo de quo supra in exordio – E finalmente nelle nuove produzioni che sortono dalle loro mani, formano un ramo di commercio, e d' industria più d'ogni altro utile al pubblico, ed allo Stato

Et in edicto in occasione lato ab Emo Cardinali Pro Camerario – Sua Santità non perde di vista un altro ramo d' industria, e quasi proprio di questo suolo, non che concorre, e gareggia con quelle, ma ne supera l'attività, e la influenza non meno nel promovere i vantaggi, che nell'accrescere il decoro, e la celebrità di questa Metropoli, ed anche dello stato.

(c) Ibidem pariter in exordio. Sono state queste le riflessioni che dappresso all'illustre esempio che la S. M. di Leone X. diede nella prima del gran Raffaello (quod supra jam uti demonstravimus) d' Urbino ci hanno recentemente determinati ad eleggere l'incomparabile Scultore Canova, emulo di Fidia, e dei Prassiteli, come quello lo fu degli Apelli, e dei Zeusi, in Ispettore generale di tutte le belle arti, e di tutto ciò che alle medesime appartiene.

adjecisset Commissarium, duosque Adsessores (a) voluit, ut quam diligentissime, et quam severissime omnes incumberent, ne dum, ut publica aedificia perpetuo restaurarent (b) nedum, ut nullum umquam monumentum mutiletur (c), sed quod magis ad nostrum scopum pertinet eorumdem omnimodam distractionem penitus inhibuit (d). Quo in re ita nostrae legis mentem providentissimus Pontifex interpretatus esse visus est, dum eadem lex marmorum, et columnarum *cujuscumque materiae* translationem vetuit ut apertissime demonstraverit, se se non ad intrinsecum rei valorem, sed ad decus, quod ex iisdem in Urbem derivaret, attendisse. Voluit enim eorumdem monumentorum translationem veteri non modo si ea ex marmore, aere, ebore constarent, verum etiam si plumbea essent, aut figulina, aut demum lateritia (e).

(a) § 5. ejusdem Chirohraphi — Quale licenza concederete sempre premessa la visita dell'aggionto Commissario, ed in luogo di quest'ultimo de' suoi Assessori.

(b) Ibidem § 6. Incolcherete poi seriamente tanto ai Conservatori del popolo Romano, quanto all' Ispettore, e Commissario dell'Antichità d'invigilare perchè meno le antiche fabriche ristaurate, ripulite all'occorenza, e conservate colla maggiore esattezza.

(c) Ibid. § 7. Collimando sempre allo stesso oggetto della conservazione delle preziose Memorie dell'Antichità, proibiamo a chiunque di mutilare, spezzare, o in altra guisa alterare, o guastare le statue, i bassirilievi, Cippi, Lapidi o altri antichi monumenti ec.

(d) Ibid. § 1. Vogliamo che sia affatto proibita in Roma, e dallo Stato l'estrazione di qualunque statua, bassorilievo, o altro simile lavoro rappresentante figure umane, di animali in marmo, bronzo in avorio, ed in qualunque altra maniera etc.

(e) Ibid. § 1. Proibiamo di togliere egualmente, e l'estrazione di qualunque antico monumento cioè di lapidi, iscri-

Cognovit etiam sagacissimus Pontifex unam Italiam esse, quæ diversas picturarum scholas, earumque exempla possidere digna sit, quoniam ea una est, quæ easdem produxit. Cognovit Italiam unam esse, quæ earumdem Scholarum augmento incumbere possit, quoniam ea una est, quæ elementorum ipsarum, atque exemplarium depositum possidet monumentum (a). Quo de re cum maxima ipsorum pars Romæ sit etiam ad eorumdem distractionem cum a quolibet profano loco, tum ab Ecclesiis prohibendam paternas suas produxit sollicitudines (b). Atque ut adeo providis dispositionibus conveniens exequutio responderet, voluit, et ipse suorum Prædecessorum Pontificum exemplum imitatus tum omnem facultatem extractionum sibi tantummodo reservare (c), eadem reliquis omnibus adempta, tum singulas controversias, quæ oriri in hujusmodi materia possent Eminentissimo Cardinali Camerario pro

---

zioni, cippi, urne, candelabri, lampadi, sarcofagi olle cinerarie, ed altre cose antiche di simil genere, e di qualunque materia siano composte, comprese anche le figuline et § 9. Proibiamo di togliere marmi antichi scolpiti, o lisci di qualunque sorte, iscrizioni Mosaici, urne, terre cotte, ed altri ornamenti di qualunque specie.

(a) Lettres sur le projet d'enlever le monumens de l'Italie Sixiéme lettre pag. 60.

(b) Cit. § 9. Chirographi Pii VII. La stessa proibizione vogliamo abbia luogo nelle chiese publiche, e fabriche annesse, compresi anche i semplici Oratorj.

(c) Ibidem. Ed acciò la stessa proibizione abbia il suo pieno effetto togliamo ai Rettori, ed alle dignità di qualunque privilegio muniti compresi anche i Rmi Cardinali, Titolari, e Protettori, Patroni Laici, e lo stesso nostro Emo Cardinal Vicario la facoltà di accordare sotto qualunque pretesto alcuna licenza di estrazione . . . . le quale facoltà riserviamo a Noi esclusivamente.

tempore privativa dijudicandam addiceret (a). Quin ita demum in reliquis partibus bene materiam pertractavit, ut quanta divisim ejus oculatissimi Praedecessores statuerunt, omnia optime in unum redegerit, atque concluserit. Et quoniam prævidit tanto majus decus hujusmodi monumentis adjectum fore, quanto ea magis conjuncta fuerint, et veluti in unum conclave collecta voluit etiam in hoc Romanorum Imperatorum vestigia premere, annuam Summam a publico aerario addicendo celeberrimo Museo Pio, quod apposite magnificentissime ampliavit, ut consertioribus monumentis illo perpetuo valeat adaugeri (b). Qua in re magnificientiam Prædecessoris, Pii Sexti, et gloriam optimus ille Pontifex ita superare visus est, ut illius nomen aeternitatem perennemque gloriam sit assequuturus (c).

Sed ut Romanorum gloria ad primævum magnitudinis gradum rediret, scriptum erat in fatis ut dies expectata elucesceret, qua PETRI Cathedram

---

(a) Ibid. §. 15 et 16 Vogliamo che Voi, ed i vostri successori . . . . . . abbiate una piena e privativa giurisdizione esclusivamente da qualunque altro Tribunale anche camerale . . . . . tutto deferendo al vostro Tribunale - - - - - - - . . . . e vogliamo che Voi in figura di supremo, ed indipendente magistrato abbiate un assoluta giurisdizione, vigilanza, e presidenza sopra le antichità sacre, e profane sopra le belle arti, e quei che le professano, e gli oggetti delle medesime.

(b) Ibid. §. 17 Non lasciamo di occuparci seriamente per quanto le circostanze de' tempi, e le forze dell' Erario lo permettono a rinvenire tutti i mezzi onde riparare alla perdita dei Musei . . . . . ed abbiamo destinata la somma annua di piastre *Diecimila* per l' acquisto delle cose interessanti in aumento dei nostri Musei.

(c) Lettres sur le projet d' enlever les monuments de l'Italie troisieme lettre pag 24

ascendit LEO XII cujus imperium diu supremum Numen feliciter regat · revera tandem sidus illud apparuit, et munificentissimi Prædecessoris Leonis X. aevum recondaxit, et certissimo superavit. Quanta enim egerit jam ab sui Pontificatus principio nemo est, qui non cognoscat: cum autem sentiret meliorem populi cultum, at vehementiorem amorem erga liberales artes ex litteris procedere, ideo intensissime incubuit, ut litterarum amor tum in Professoribus, tum in Adolescentibus adaugeretur, illis laboris, istis vero stadii adauctis præmiis: ex quo quidem credi debet numquam reditura fore ea infaustissima tempora, quibus bonarum artium, et virtutis monumenta diruebantur, corrumpebantur, et in calcem convertebantur, imo certissime fieri debeat, ut, illorum amore flagrantibus civibus, quæ monumenta ex Græcia in Urbem translata fuerunt similia ex Urbe Roma in alias Civitates debeant transferri; idque nec difficillimum; cum enim tot, tantaque existent in Urbe monumenta exemplerie, ex quibus optimum cuique liceat excerpere, ubi juvenum ingenium ad id diligenter incumbat facile illorum opera immortalitatem consequentur.

Quod certissimo fieri debet, cum ea fuerit Summorum Pontificum mens in asserenda ex cultura, et conservatione monumentorum industriam, et commercium procedere etatim ec enim ex studiis antiquorum adeo crescat bonarum artium amor, ut possint Romani cives, et quotquot ingenio in sculptilibus imaginibus efformandis existunt, opera perficere, et ex iisdem perfectis operibus, et late quidem cum gentibus universis exercere, ec hujusmodi veritatem nemo est qui non sentiat si consideret provvidissimas ipsorum Pontificum dispositiones, quæ maturo consilio, et deliberata volun-

tate latæ fuerunt: non enim commercium Pontifices voluerunt ex conservatione monumentorum, ut ex illis mercimonium facerent Romani Cives, nam patulis verbis, et rigidissime illorum prohibita est extractio tum per veteres leges instauratas tum per novas constitutas; neque ex eo voluerunt commercium Pontifices, ut veteribus imitatis monumentis quæ antiquitatis exemplaria in legum, et emptorum fraudem, et detrimentum distrahantur ut aliquali antecto tempore factum fuerat, sed ut ex ipsis antiquitatibus exemplaribus illud colligatur, ut artificum opera laude veterum sint aestimata: quanta igitur Sapientia asseruerint ex veterum monumentorum conservatione commercium procedere unusquisque facile sibi persuadere potest, præsertim cum nihil tam maturo consilio factum sit, quam constitutiones eæ, quæ monumenta ipsa respiciunt. Quod rursus ex munificentissimi Pontificis LEONIS XII. dispositionibus confirmatur, cum summopere ejus chordi fuerit, artium, et scientiarum restauratio.

Ceterum non eo stetit munificentissimi Principis liberalitas, sed studuit summopere, ut etiam incultiores gentes monumentorum pretium cognoscerent ex illius sollicitudine tum pro existentium conservatione, tum pro aliorum excavatione: qua in re quisque cognoscere debet summum consilium Optimi Pontificis, illiusque amorem erga monumenta, quæ decus et ornamentum Urbis principale constituunt; ceu enim in oratione nostra notavimus sæpissime fuit plebs quæ statuas dejiciebat, et obtruncabat, omnique injuriarum genere afficiebat, et novit providissimus Princeps non tantum pœnarum minitatione ab hujusmodi injuriis manus plebis abstinere posse quantum præmiorum promissione, si quid antiquitatis ab ipsa plebe reperiatur, vel ipsius opere restaure-

tur: atque ita quod antea spretum videmus pœnarum inflictione, nunc præmiis facillime exequitur; nihilo tamen secius prævidit Pontifex plebis licentiam, atque ideo statuit ut et quis eidem præesset, et milites etiam adsisterent, cum id expostularet necessitas · sed rursus nedum privata monumenta Summus Imperans sive restaurare, sive perquirere, et invenire fecit, sed summopere illius chordi fuit etiam publicorum monumentorum restauratio, atque hinc principale Romanæ magnitudinis monumentum restauratum videmus (a), columnarum, et Statuarum collectionem quotidie amplistam, hinc ubique locorum, quæ aliquid antiquitatis præstare possunt, amplissimas excavationis operas institutas inspicimus; hinc denique illorum Imperatorum monumenta adquisita videmus, quæ hucusque in Musæis desiderabantur. Quo in loco prætereaim disserere de eo Christianæ Religionis monumento, cujus ineruditum in universas gentes perductum, universum quidem Orbem maximo dolore affecit, quem tamen illico summa cura ac summis nummis mulsum voluit beneficentissimus Princeps institutis ad hoc publicis redditibus et operibus ita ut quod antea nictantibus oculis mirabatur vel in trabibus citreis, vel in marmoreis columnis, quodque Imperatoriæ magnitudinis monumentum dicebatur, quodque universarum nationum admiratio-

(a) Refertor ad conspicuam reparationem Amphiteatri Flavii, quod etsi ex Barbarorum injuriis dirutum magnitudinis Romanæ primum exemplum, quod extet, dici potest; si enim Portus Claudii existeret, et in eo adspiceretur unum ex principalibus Romanis operibus, de eo optime loquitur in suo tractatu -- del Tevere, e sua Navigazione -- Providissimus Sardinearum Consul, qui opere valentis D. Canina usus est in conficiendis tabulis iconographicis.

nem expectabat; nunc Optimi nostri LEONIS XII. quantam gloriam nomini quisque non tribuat, si tamquam ictu fulminis, et trabes, et columnas jam jam dicat elatas, et Templum ad primam formam redactum adspiciat: sed quæ loquor de uno, altero-ve monumento, quod illius munificentiam demonstrent? forsan illud et istud sunt tantummodo monumenta quæ LEONIS laudes concinnent? Sat erit superque Urbem tantummodo percurrere, ut ubique locorum sollicitudo, et providentia Optimi Principis cognoscantur. Hoc enim loco vetera monumenta adspicies restaurata, illic nova constructa, quæ veteribus præeminentiam contendunt; alibi terræ viscera perfossa, ut vetustissima, quæ temporum, et barbarorum injuria dejecit, in pristinam reducantur magnificentiam ut et ipsa veterum magnitudinis exemplum valeant demonstrare: hoc itaque tempus ita superioribus præcellere videtur propter Optimi Pontificis munificentiam ut illius jussu ea cuncta exequi videantur, quæ diversis, et separatis temporibus antea facta sunt: ante hoc enim tempus nunc Imperatores pro veterum monumentorum reparatione solliciti fuerunt, nunc Pontificum cordi fuit in visceribus terræ perquirere nunc denique illis, et istis fuit novorum construendorum cura monumentorum. Quid autem hæc tempora præsenti comparantur, cum ea tria simul exequuta videantur? Merito itaque LEONIS XII. nomen apud universas gentes aeternam assequetur laudem, et universis gentibus Romanorum magnitudinem annuntiabit

NIHIL OBSTAT
Fr. Th. Antolini Proc. Gen. S. Aug. Cens. Theolog.
NIHIL OBSTAT
A. Nibby Cens. Philolog.
IMPRIMATUR
F. Dom. Buttaoni Mag. Sacr. Pal. Ap. Soc.
IMPRIMATUR
J. Della Porta Patr. Constantinop. Vicesg.